Medicina



Io. Batta · Gaulli del.

Arnoldo Van Westerhout sculp.

Ex libris P. M. F. Angeli ... pro Biblioth: S. M. S. Min:

IACOBI SINIBALDI ROMANI

ARCHYATRORUM COLLEGÆ, ET IN ROMANO LYCEO

PUBLICI MEDICINAE THEORICAE LECTORIS

APOLLO BIFRONS

Medicas, & amenas dissertationes Latino, & Ætrusco sermone

PROMISCUAS EXPONENS.

ROMÆ,

Typis, & Expensis Francisci de'Laz. fil. Ignatij. 1690.

SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISS. AC REVERENDIS. PRINCIPI

FVLVIO

CARD. ASTALLIO

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

IACOBVS SINIBALDVS S.P.P.

BIfrontem miraris Apollinem tuos ante pedes procumbere Princeps Eminentissime; sed enim verò, cum sit idem Musarum, & Medicinæ Parens Apollo, quid mirum, si, diuersæ licet indolis filios vno mensæ cir-

cuitu gaudeat congregare? mirari potiùs non immeritò liceat, vt qui duplici fronte cæteris *vtile dulci* miſcere iactat, ſuam tamèn a te vno dulcedinem, & vtilitatem præſtoletur; quid enim vtilius, quam tali nominis patrocinio ſuis ſcriptis conſulere, quod aduerſus, aut Momi iacula, aut ætatis teredinem tueri, & valeat, & velit? vt Cæſaris Ceruam Venatorum aiunt à telis longo æuo ſoſpitem extitiſſe; quid verò dulcius, quam quod ſciam me ſurdo non canere, nec inſipido palato fercula condiuiſſe? ſi quæ enim aut paradoxica, aut Vulgo non trita meis hiſce paginis inſpergantur, hoc mihi ſatis eſt, hoc mihi iucundum, quod tuam non fugiunt intelligentiam, quam equidem non ſemel miratus fui, & magnarum rerum capacem, & paruulas non dedignantem: Vale interim quantum litteris vales, vt mihi, & domui meæ valeas

Em. Veſtræ.

Humillimus, & Obſequentiſſimus famulus
Iacobus Sinibaldus.

CATALOGVS

Differtationum, ac Problematum.

DISSERTATIONES

Habitæ in Congreſſu Medico Romano.

PROBLEMATA

In eodem Congreſſu Medico Authori ad ſoluendum propoſita

DISSERTATIONES

Habitæ in Horto medico Romani Archigymnasij

ORATIONES

Habitæ in Ecclesia Romani Archigymnasij

Leo

Imprimatur

Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

Steph. Ioseph Menattus Ep. Cyren. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Ioseph Clarionus Sacræ Theologiæ Magister, & Reuerendissimi Patris Fr. Thomæ Mariæ Ferrari Sacri Apostolici Palatij Magistri, Socius Ord. Præd.

ACIDI

Contrariæ Virtutes.

DE Acido pauca quædam mihi loquuturo Satyri fabula apud Aesopum redit in mentem, quem Amicus Paſtor ad prandium inuitans, cum frigidas manus oris hiantis afflatu per viam calefaceret interrogauit Satyrus quid ageret, cui Paſtor, manus, inquit calefacio; inde ad menſam conſidentibus, Paſtor in feruidum pulmentum Labijs conniuentibus exſufflabat, vndè iterum ſciſcitanti Satyro reſpondit, pulmentum refrigero; at ille è menſa illicò ſurgens, auertant à me ſuperi, inquit, ſubdoli hominis commercium, qui vnico afflatu contrarias qualitates inſpirans ab ipſo quidem halitu proditionis reuincitur. Si Acidum pertractantes Medicos Aeſopi Satyrus audiret, puto equidem longius ab ijs, quam à Paſtore fugiturum; proh mirum quanta doctrinæ diſcrepantia! Quanta Virtutis contrarietas! Interroget Satyrus, quæ ſit Acidi virtus? Adſtringere, denſare, coagulare, Medicus reſpondebit, Lactis experimentum in promptù habens, item Aſthmata, Apoplexias Nephritides Acidorum abusù frequen-

ter inuadentiâ, interroget iterum, quæ sit Acidi virtus? Incidere, corrodere, dissoluere promptum alijs aderit responsum, vt in Cancro, herpete, disenterijs alijsque sarcophagis vlceribus ab Acido corrodente, seù atrabilari promanantibus: ecquid aliud sanè videtur hoc esse, quam vno eodemque halitu manus calefacere, pulmentum refrigerare?

Primus quod sciam hanc subodorauit difficultatem Quercetanus*, qui propterea contrarias hasce Acidi virtutes ita distinguit, vt nimirum corpora per Acidum dissoluantur Spiritus verò coagulentur.

Quod Acidum corpora dissoluat notum id esse, vel Mulierculis ait; Spiritus enim Vitrioli, aut Sulphuris, aut Nitri Acidus, vel in vola manus Corallos, ac Margaritas dissoluit, quod, & succi Limonum, Granatorum, Berberis, Ribes, à suis fecibus terrestribus optimè depurati præstare valent; confirmat hoc idem ipsa Galenicorum Praxis, quæ ad viscidos, tum in Ventriculo, tum in Pulmone Catharros incidendos, ac dissoluendos Syruppis vtitur ex Aceto, vel Limone compositis.

Quod verò Spiritus ab Acido coagulentur mediocriter in Arte Spagyrica versatos nouisse ait in preparatione Mercurij, cuius fluiditas nullo frigore, nullo gelu est conglaciabilis, sitamen ille cum

solo

* De signat. Rerum intern.

ſolo Vitriolo mediocriter calcinato ſublimetur, ex fluido ſolidus ita euadit, vt manibus contrectari poſsit, qua in forma conſtitutus vulgò ſublimatum appellatur; ſed quid opus arte Spagyrica ad hanc Spirituum coagulationem demonſtrandam? Pone ſpiritum Vini, vulgò Aquam vitæ in medio Niuis, aut Glaciei, maneat ibi per horas, aut dies quantum libet, nunquam tamen congelabitur, miſce Acidum Vitrioli, vel Sulphuris, & in medio etiam igne congelabitur; ſic extractum Corallorum Spiritù quouis acido condenſatur, & in priſtinum corpus conſolidatur; puluis item Bombardicus Spiritu Vitrioli madefactus incapax impoſterum inflammationis redditur, coagulato nempe ſpiritù Sulphureo, qui accenſionis eſt cauſa, vt hinc facilius explicetur, quod iam diù Galenicorum Ingenia detorſit, quomodo nimirum, non ſolùm Acetum, ſed & ſpiritus Vitrioli, & alià Acida calidiſſima, & cauſtica liquore aliquo propinata virtutem habeant refrigerandi, ſicut enim ſpiritus Vitrioli acidus ſpiritus Sulphureos coagulat in puluere bombardico, vt non ampliùs accendi valeat ita in corpore humano ſpiritus Sulphurei febres, & inflammationes accendentes ab Acidis coagulantur.

At enim verò hæc doctrina Quercetani, vt vt enarratis Experimentis firmari videatur, difficultatem tamen non ſoluit, ſed aliò transfert adhuc

enim quæstioni remanet locus, cur ab Acidis corpora dissoluantur Spiritus verò condensentur, & cur eadem Acida, quæ solida corpora dissoluere sunt apta spiritus tenuissimos dissoluere nequeant, cum præsertim ab igne, cuius vim in acido residere. Tachenio placuit contrarium doceamur, ignis enim, qui solida Ligna dissoluere est efficax tenuissimum Vini spiritum, aut oleosam quintessentiam celerius dissoluit; preterea non nè Lac est corpus? & tamen ab Acidis coagulatur; Acidi ergo vis est corpora etiam interdum coagulare: vidimus etiam hoc loco experimentum spiritus Vitrioli, & Nitri super limaturam Chalybis effusi, à quo tanta excitabatur efferuescentia, vt manus calorem ferre nequiret, quem sanè calorem solutis, & in motum concitis sulphureis spiritibus in chalybe residentibus causari crediderim, Acida ergo non semper spiritus coagulant, sed quandoque excitant, ac dissoluunt.

Eruditissimus noster Accademicus de hac Acidi discrepante virtute obiter hic verba faciens eam habuit sententiam, quod scilicet Acidum in pauca dosi coagulat, in magna dissoluit, quæ tamen doctrina non minoribus tricis illaqueatur; primò enim refellere eam possumus eodem illo argumento, quo ipse in Galenicos Acidum frigidum asserentes insurrexit. Si Acidum, aiebat, est frigidum Aci-

a Hipp. Chimich.

Acidiſſimum erit frigidiſſimum, ſed Acidiſſima ſunt calida, & cauſtica, ergo Acidum non eſt frigidum; pari inquam ſyllogiſmo arguere mihi liceret, ſi Acidum in pauca doſi eſt coagulans in magna erit magis coagulans, nec apparet ratio, cur in maiori quanto, maior etiam virtus non reperiatur.

Secundo contrariam ſuggerit experientiam Panis elaboratio in quo pauca portio fermenti Acidi, non coagulat, ſed diſſoluit, rarefacit, & ad intumeſcentiam extollit.

Tertio obſtat huic ſentētiæ Praxis medica, quæ ad craſſos humores attenuandos ad Obſtructiones reſerandas ſpiritu Vitrioli, ac Sulphuris, alijſue acidis vtitur ſyruppis in paruula quidem, ac minima doſi, ſi ad maſſam humorum habeatur proportio, ſicut pariter minimæ ſunt illæ particulæ Cantharidum, quæ ſanguini à Veſsicantibus communicantur, quas tamen ſanguinem fundere, non coagulare communis eſt opinio.

Ab his alijsque innumeris dìfficultatibus, quibus Doctrina de Acido, & exinde medica Praxis illaqueatur non vnquam expediemur niſi prius ordine philoſophico incedentes rem per cauſam cognoſcere aggrediamur; ſicut enim infeliciter errant Scolaſtici, qui ſolis ſpeculationibus innixi magiſtram experientiam ignorant, ita deterius interdum cœcutiunt Medici, & Chymici quam plurimi, Qui

re.

rerum Principia negligentes, & Mecanicæ Experimentali tantummodo inhærentes iuxta varias ad sensum obseruationes varios, ac sæpe inter se discrepantes Aphorismos pronunciant.

Principium itaque philosophicum, & cunctis innegabile illud erit præmittendum, quod quotiescunque ex vna, & eadem causa duplex, & contrarius promanat effectus, alter erit effectus per se, vniuocus, & Primarius, alter verò per accidens, æquiuocus, & secundarius; exemplis res erit clarior; hieme corpora refrigerantur Ventres fiunt calidissimi, erit quidem effectus per se, & vniuocus refrigeratio, erit effectus per accidens, & occasionalis viscerum calefactio. Ignis soluit ceram, indurat cretam, erit ignis effectus per se dissolutio, ad quam semper dirigitur ignis actiuitas, Cretæ autem induratio effectus per accidens quatenus dissoluta per actionem ignis primariam tota cretæ humiditate, terreæ partes exsiccatæ per accidens, & secundariò indurantur, cum igitur experimentis innotuerint contrariæ in Acido Virtutes nempe dissoluendi, & coagulandi necessariò alterutra ex ijs virtutibus erit actio per se, & primaria, altera verò per accidens, & occasionalis: quænam autem sit Acidi actio primaria, & quæ secundaria, an dissoluere, an coagulare, antequam decernamus placeat vobis curiosæ cuiusdam litis spectatores, ac Iudices esse, in qua

Bo-

Borellius inconſtantiæ, & contradictionis. Villium inſimulat. Sermo illorum erat de Vrinæ à ſanguine ſegregatione, quam fieri Villius aiebat. *A vi alicuius Coaguli ſerum à ſanguine ſeparante, non ſecus, ac ſerum à Lacte, vi Coaguli acidi ſecernitur, & rationem adducit*[b]. *Quia diuretica ſunt eiuſmodi, quæ, & Lacti coagulationem inducunt ideoque, quia ſanguinem fundendo plus præcipitant largam Vrinæ profuſionem inferunt.*

Contra hanc Villij Doctrinam, vt confuſam, & ſibi contradicentem inſurgit Borellius; quod enim inquit diuretica vi coaguli largam Vrinæ profuſionem inferant, malè probat Villius exemplo Lactis, à quo eadem Diuretica ſerum ſeiungunt in Lacte enim Diuretica ſerum ſeparant coagulando, an ergò ſanguinem pariter coagulando Vrinam ſeparabunt? Non planè imò ipſemet Villius ibidem aſſerit, quod fundendo ſanguinem, ſeù liquidiorem reddere do Vrinam profundant; quæ ergo erit comparatio inter duas actiones contrarias quarum, vna ſanguinem fundit, altera verò Lac coagulat?

Hæc eſt Borellij in Villium criminatio, pro cuius abſentis defenſa tamquam Aduocatus in Arenam deſcendens peto à vobis Iudicibus Borellium pena Tallionis eſſe multandum, dum enim Aduerſarium inculat, quod more Chymicorum præcipita-

[a] De motu Animal. [b] De fermentat.

tationis, & fusionis vocabulis abutatur non vltra perscrutando, quomodo talis fusio, ac præcipitatio mecanicè celebretur; ipse quidem reprehendendus videtur, quod eiusmodi vocabula cum tota sua mechanica non benè intellexerit.

Dico igitur, quod fundere, & coagulare, etsi contrariæ sint actiones ita tamen ad præcipitationem disponuntur, vt vna illam præcedat, altera sequatur; præcedit quidem fusio, nam vt precipitatio contingat prærequiritur concussio, ac perturbatio Liquoris, qua mediante partes diuersæ indolis, aut configurationis à partibus diuellantur; en ergo fusio præcedens: segregatis verò, ac diuulsis partibus heterogeneis, homogeneæ, & configuratione consimiles simul coagulantur; en ergò Coagulatio præcipitationem subsequitur; non ergo coagulando fit præcipitatio, sed præcipitando fit coagulatio, tali nimirum ordine, vt in priori natura, ac tempore sit fusio, hanc sequatur præcipitatio, vltima omnium sit Coagulatio: erroris occasionem, vt puto Lac fecit, à quo per Coagulum adstricto serum separari videtur, at Coaguli Acidum non adstringit, sed fundit Lac, quod postmodum sero segregato, virtute suarum fibrarum coagulatur; quod verò Coaguli vis sit fundere non adstringere docebit experientia, si Lacti iam coagulato nouum Coagulum affundas; iterum enim Lac dissolui videbis,

ac

ac frustulatim discerpi, hinc Dioscorides Lacti in Ventriculo coagulato Coagulum epotum ait esse remedium, sicut sanguini in Ventriculo, vel Torace stagnanti Acida diluta à Medicis propinantur, ad sanguinis autem per Diuretica fusionem non ita facilè subsequitur coagulatio, sicut ad Lactis fusionem, tum quia quotidianis potionibus, seri iactura restauratur, tum præsertim, quia motu perpetuo à coagulatione vindicatur, Experimento enim videmus Animalium mactatorum sanguinem per conquassationem seruari fluidum, vnde Hippocrates de sanguine loquens. *Si verò Quis ipsum conquasset, & fibras eximat non congelatur.*

Hactenus prò Villij defensà, ex qua liquidò innotescere poterit, id quod superius nobis erat inquirendum, primariam scilicet, & vniuocam Acidi virtutem esse semper dissoluere, secundariam verò, & occasionalem coagulare, quod vt firmiter adhuc roboretur opere prætium erit subtilius expendere, quomodo in mistis fluidis partes heterogeneæ, ac diuersimodè configuratæ, ita ad inuicem se se complectantur, vt vnum veluti continuum constituant.

Porrò in quolibet Mixto liquore puta sanguine, Lacte, & eiusmodi partes componentes ita disponi necesse est, vt crassæ, ac viscidæ particulæ à tenuibus, & aquosis malaxentur, rarefiant, ac ve-

 luti

luti in tenuissima Veli stamina diducantur; partes verò tenues, & aquosæ intra illa velata stamina tamquam intra vessiculas includantur: exemplo sit aqua saponata, in qua partes viscidæ saponis ab aqua dilutæ, ac rarefactæ in bullas, ac vessiculas eleuantur; Sicut ergo viscidæ saponis particulæ aqueis intertextæ vesiculas Aeri includendo fabrefaciunt, ita viscidæ sanguinis, aut Lactis particulæ fibrosis, ac terreis permixtæ vesiculas particulis aqueis retinendis intexunt, vt proindè sanguinis, aut Lactis Massa sit consideranda tamquam aggregatum quoddam vessicularum seroso latice turgidarum; consulatur in hac re Borellius mechanicè demonstrans hanc vesicularum non modò probabilem, sed necessariam existentiam; nec Hippocratem latuisse videntur huiusmodi in sanguine membranosæ Vesiculæ, qui libro de Carnibus obseruatum reliquit. *Si quis corpus Hominis secet vbicumque velit sanguis calidus fluet, & quandiù sanè calidus fuerit, liquidus erit, postquam verò refrigeratus est tum ab intrinseco frigido tum ab estrinseco pellicula fit, & Membrana, & si Quis, hac Pellicula detracta modico tempore sinas aliam Pelliculam factam videbit, si verò Quis hanc semper adimat alia rursus Pellicula à frigore generatur*. Vesiculæ istæ si ab Acidi spiculis acuminatis perforentur en continui dissolutio vera, & vnica

Aci-

Acidi virtus; en aquarum effuſio vndè veſicularum detumeſcentia, ex qua earundem pondus, ac præcipitatio, ac tandem coagulatio vltimus indirectus, & occaſionalis Acidi effectus.

Explicato Acidi Syſthæmati, vt Mens omninò aquieſcat difficultates ſuperius oppoſitas diluere ſatagemus; & primò ſentio obicientem ſi coagulatio in hoc Veſicularum collapſu, aut fibrarum conniuentià conſiſtit, quomodo ergò, docente Quercetano, & allatis experimentis, Acida ſpiritus coagulant? Quæ Veſiculæ, quæ fibræ in ſpiritibus ſomniari poſſunt? gordianus vtique nodus hic eſt, qui ſolui neutiquam poteſt, truncari fortaſſe poterit; nego igitur Quercetano ſuppoſitam ſpirituum coagulationem, ſed potius eorumdem diſſolutionem fieri ab Acido exiſtimo, quod vt ſubtilius demonſtretur ſpirituum Natura; & eſſentia ad trutinam expendenda.

Triplex dari Genus ſpirituum ex chymicis Principijs docemur, Acidum, ex ſalis fluore, vt Vitrioli, Nitri, Tartari, Alchalicum ex ſale volatili, vt Cornucerui, Vrinæ, & Viperæ, Ardens ſiuè ſulphureum, vt Vini, Cereuiſiæ, & Citri; de Acido ſpiritu non erit hic ſermo vtpote qui ſupponitur coagulans non is, qui coagulatur, ſalinos, ac Sulphureos ſpiritus nil aliud eſſe, quam Salis, ac Sulphuris volatilium minimas particulas aeri permixtas in noſtro Embrio

ne philoſophico ſatis inſinuauimus, imò qui deſtillatione eliciuntur vna cum aere phlegmatis etiam portionem habent admixtam ideoque in formam liquoris aquei aſcendunt; ſicut ergo Acidorum aculei Veſiculas fibroſas Lactis, aut ſanguinis foraminando incluſam aquam excludunt, ita Aquæ vitæ aliorumue ſpirituum Poroſitates penetrando aereas atomos expellunt, quibus expulſis omnis omnino ſalis, ac Sulphuris volatilitas, ſeù ſpirituoſitas deſtruitur, & per modum præcipitationis in craſſamentum degenerat. Non diſſimili ratione Puluis pyrius ſpiritu Vitrioli madefactus reſpuit accenſionem, tum quia excluſis ab Acido diſſoluente particulis aereis deflagrationis, quæ ſine aere fieri non poteſt neceſſaria ſubſequitur impotentia tum etiam, quia acidum illud phlegma admotam flammam extinguit.

Maior videtur difficultas in explicando, quomodo Mercurius cum Vitriolo ſublimatus coaguletur, cuius tamen ſolutio iiſdem perpetuò principijs firmius inherendo eſt deducenda; dico igitur primariam Vitrioli in Mercurium actionem eſſe intimam illius diſſolutionem, & vſque ad minima imperceptibilia triturationem; patet id manifeſtè ex eo quod Mercurius, qui antea fuſionis ignarus non in æquam fluiditatem, ſed in globulos cœterorum conſortia recuſantes excurrebat, iam Vitriolo ſiue Aquæ forti permixtus adeo illi ſubijcitur, & adamuſsim æqui-

quilibratur, vt per illam totus disperdatur, & enanescat, en ergo solutio Mercurij primaria Vitrioli actio innegabilis: cum verò postmodum Mercurius, ac Vitriolum taliter æquilibrata simul ascendunt, ac sublimantur, en transcolatà per destillationem totà aqueà humiditate, Vitrioli Sal vi ignis susum, & ad intima vsque Mercurio permixtum fibrosas illi strias, & filamenta intertexit, queis tamquam compedibus fugitiuus, quem vocant famulus infarcitur, atque hanc Mercurij coagulationem taliter celebrari confirmat eiusdem solutio, si enim Quercetano teste, in aquam inijciatur eam omnino acidam reddit, & Mercurius salinis suis ligamentis spoliatus fit rursus ex fixo mobilis, & in pristinam redit flexibilitatem; hanc eandem Mercurij sublimati solutionem oleo Tartari fieri posse spagyrico Artifici compertum est, ad cuius Alchali Vitrioli Acidum auidissimè accurrens Mercurium in primam libertatem relinquit, vndè motus Fallopius Sublimati veneno oretenus assumpto oleum Tartari tamquam proprij simam Antidotum exhibendum existimauit.

Ex dictis etiam ratio emanare videtur, quomodo tam spiritus acidi, quam Alchalici diureticam habeant vim sanguinem fundendi, & serositates educendi; actio enim Acidi primaria est incontinens Alchalici verò in contentum, quod crasso quidem exemplo liceat dilucidare, iuxtà Hippocratis mentem

tem primo de Dieta, qui ex manifestis obscura docuit esse consideranda. Vinum in dolio clausum duplici modo erumpere potest, vel quia spiculum aliquod vas perforauit, vel quia, vt in Musto efferuescente contingit spiritus intumescit impetum facit, & vas disrumpit; primus modus verificatur de Acido, cuius aculei fibrosas vesiculas foraminando serositates extraducunt; Secundus verò de spiritu Alchalico, cuius vis elastica sanguinem adeo tumefacit, vt vesiculæ disrumpantur.

Remanet vltimò peragendum, vt lineæ ad cæntrum dirigantur, & physica huiusmodi Theoremata ad Praxim Medicam ordinentur; quid ergò ex dictis elicimus? Primò quod vbi sanguinis vitiosa tenuitas apparet ex fibrarum defectu, vel laxitudine, ab Acidis omninò abstinendum; vidimus enim non raró ex tali sanguinis diathesi hemorragi à laborantes, quibus imprudens Medicus ad sanguinem, vt aiebat coagulandum acida exhibebat, quibus fibræ magis, magisque corroderentur, cum potius crassa alimenta ad illas restaurandas essent imperanda; clarissimum huius veritatis exemplum in Lacte obseruamus in quo, etsi Coagulum impositum. modo superius explicato Coagulationem inducat, attamen si diutius ità perseueret etiam absque vlla noui Coaguli additione corrosis paulatim fibris iterum dissoluitur, nisi serum iam segregatum,

rum, & Coaguli ſpiculis acuminatum tranſcolaueris, aut mica Panis abſorbeas.

Secundò, quod vbi viceuersà ſanguis ſpiritibus turgens, ac luxurians erumpit in hemorragias, manente alioquin laudabili fibrarum conſiſtentiâ, Acida liquoribus preſertim diluta peropportuna cenſenda eſſent non ad ſpiritus coagulandos, vt credidit Quercetanus, ſed vt ijs aliquantiſper foraminatæ veſsiculæ impetum facientes ſpiritus euaporare ſinant, ac diſsolui.

Tertiò, quod ſicuti fluida ab Acidis præcipitando coagulari, ſolida verò corrodendo diſſolui Lactis, ac ſanguinis exemplo demonſtrauimus, ita in Calculoſis Affectionibus neceſſariò conſequitur, quod ad præcauendam Calculorum generationem Acida omnia ſint fugienda. Nobilis Matrona calculorum doloribus, & excretioni frequentiſsimè obnoxia, vſu vini græci, & aquæ Tiberis, optimoque in ceteris vitæ inſtituto per biennium fere immunis fuit ſeruata; ſuperueniente poſtmodum aſthmate, alias eius morbo familiari, ex Medicorum conſulto ſpiritu ſalis per menſem vſa eſt, quo tempore nephriticus morbus adeo ſæuiter fit rediuiuus, vt menſis vnius ſpatio bis ac ter maximis cum doloribus calculos eiecerit, quos acidi illius ſpiritus culpâ fuiſſe progenitos, præter dicta ſuperius Roberti [a] Boyle con-

[a] Tract. de ſpecif. Medic. propoſ. 2.

confirmant experimenta, cuius hæc sunt verba: *Hoc autem declarabo exemplo coagulationis, quam feci ope salinam acidorum, vt spiritus salis, & albuminis oui ad aqueam maximè consistentiam contusi, atque eiusmodi etiam coagulatio effici in lacte poterit, quod non tantum, citò coagulari poterit spiritu salis, sed vt sat notum est corporibus etiam non chymicè preparatis, vt coagulo, succoque limonum, atque experimentis hunc in scopum factis ostensum est si quædam acida in sanguinis massam immediatè conueherentur, eo in liquore ea esse coagulanda, etiam tunc, cum is in animalis adhuc viuentis organis perseuerat* vbi verò Calculus iam factus est, aut saltem proxima illius materia à sanguine iam secreta, Acida optima essent censenda præsertim vehementia, & in forma corrosiua exhibita nouimus enim quemdam calculorum doloribus diu vexatum, qui tandem sumpto cyato succi caparum absoluti calculos in fragmenta minutissima trituratos confertim excreuit, gutturis tamen, ac faucium non leuem inflammationem, & excoriationem passus fuit; quià verò talis est nostrorum viscerum imbecillitas, vt acida non nisi liquore aliquo valde diluta, & eneruata sustinere possint, vereor equidem ne illa interdum magis præcipitando coagulare quam corrodendo dissoluere sint idonea.

Quartò contrarium contingere obseruamus in Asthma-

Aſthmate pituitoſo, in quo Acida moderatè ſumpta incidere, attenuare, ac Pulmonum infarctus de obſtruere teſtantur Oximella, ſpiritus ſalis, Acetum ſquilliticum, & alia eiuſmodi in Praxi paſsim adhibita, vehementia verò ſpirandi difficultatem mirum immodum adaugere neminem latet, cuius ratio eſt tum quia per vellicationem ab acidis nerui pneumonici, ac laringis muſculi ſpaſmodicè contrahuntur; tum quia tanta ſit in arterijs per acida vehementia cruoris diſruptio, ac præcipitatio, vt ſeiunctæ fibroſæ partes a ſeroſis, harumque vehiculo deſtitutæ in pulmonum venis morentur, ac ſtagnent.

Quintò denique, quod vbi ad vias Vrinæ humores traducere aggredimur, ſedulò diſtinguendum erit, quando id diureticis acidis, quando verò alcalicis ſit peragendum, quæ ſanè apud Auctores Practicos promiſcuè, & abſque vllo diſcrimine ſolent proponi, iu hydrope enim Anaſarcà exempligratia; vbi ſpiritibus, & Principijs actiuis non vt par eſt exaltatis Limpharum craſſamento natura obruitur, etſi Acidis diureticis aliqua diſsolutio ſperari poſset, attamen talis curatio parum proderit vtpote quæ non ad morbi cauſam nempè ſpirituum, & exaltationis defectum erit directa, qui ſanè defectus Alcalicis ſpirituoſis tumefacientibus, & vnà exaltationem promouentibus reparatur, ſecus verò in hydrope Tympanite, vbi ſalia lixiuialia præter mo-

dum luxuriantia ſuccos nutritios flatuosà intumeſcentià peruertunt Acida, ſed in magna copia erunt propinanda, quæ doctrina optimè roboratur exemplo ab Auicenna narrato, cuiuſdam Mulieris hydropicæ, *quæ comedit quantitatem Malorum Granatorum, tam maximam, quod eius relatio ſit incredibilis, & ſanata eſt.*

Alias fortè conſiderationes Thetapeuticas in hoc noſtro ſeſthemate occurrere poſse non dubitamus, quas metu prolixitatis vlterius inquirere deſino, veſtris etiam Ingenijs aliquod ſcrutandum relinquens.

DE ADIPE.

Adipis naturam indagantes varià torquentur diſcordià Galenici Authores; Galenus enim ipſe quem veteres ferè omnes græci, atque arabes ſequuntur [a] frigidum eſſe multiplici ratione probare nititur, & Primò ex illius generatione, cuius modum ita deſcribit; *Quod enim oleoſum in ſangnine fluxileque, ac pingue eſt, vbi in frigidnm venit locum cogitur.*

Secundò, quia fœminæ viris frigidiores, ſunt etiàm obæſiores.

Tertiò, quia Hyeme pinguiora fiunt animalia. Quar-

[a] In lib. de temper. ſparſim.

Quartò, quia quibus exiliora ſnnt vaſa, ij magìs pingueſcunt, at venarum anguſtia frigidæ temperiei ſoboles eſt.

Quintò, a frigido adipem incraſſari; hinc liquet, quod ſtatim à calido funditur.

Sextò, venter inferior, quia membranoſus, & longè diſtans à fonte caloris copioſo adipe oblinitur, quæ verò ſub pectore partes conditæ ſunt minùs adipis congeſſerunt.

Hæc autem Galeni argumenta non eſſe admodum valida facilè demonſtrabimus, Ad primum enim reſpondeo, tali argumento æquè probari poſſe vinum eſſe frigidum, eo quod à niuis frigore congeletur, item frigidum eſſe oleum, eo quod hyemis frigore condenſetur; neſciebat fortaſſe Galenus à frigore, tùm calidas, tum frigidas res congelari poſſe?

Ad ſecundum ſicut, & ad quartum fœminas, & vaſa habentes exiliora pingueſcere non conuincit frigidum eſſe Adipem, ſed illius ſubiectum. An fortaſsè, quia mulieres furore vterino laborant, frigidus id circò erit ille morbus? an fortaſsè; quia mulieres ſunt viris iracundiores ira bilis ſoboles frigida erit affectio? frigidos autem eſſe iracundos inſinuauit Hippocrates [a] in Epidem explicauit Valleſius in Commentario.

Ad tertium, quod hyeme pinguiora ſint omnia

C 2 con-

[a] Lib. 1. ſec. 3.

concedimus, sed indè calor potius quam frigus argui videretur. An oblitus erat Galenus Hipocratici Aphorismi. *ventres hyeme, & vere naturà calidissimi sunt.*

Ad quintum, & oleum non minus adipe á frigido incrassatur, & à calido soluitur.

Ad sextum, si venter inferior, ideò magìs Thorace pinguescit, quia frigidior, doceat quæso Galenus quare Cor, & Renes viscera calidissima multà pinguedine sunt referta, quæ sanè obseruatio manifestæ falsitatis redarguere videtur eiusdem assertionem vbi inquit [a]. *At neque circa secur coire adeps potest, neque circa arterias venasue, aut Cor, sed nec circa aliam vllam præcalidam particulam.*

Contrariæ sententiæ Fautores adipem calidum esse autumant. Primò quia eius materia, est sanguinis portio tenuior, & oleosa, vel ipso Galeno docente, oleosa vero sunt sulphurea, & per consequens calida.

Secundò, quia pinguedo flammam concipit facillimè.

Tertiò, quia Bili est analoga, quæ pariter est oleosa sanguinis pars, vnde pinguia, si comedantur facile bilescunt.

Quartò, quia Cor, & Renes viscera calidissima copioso, vt diximus adipe sunt oblinita.

Quin-

[a] Lib. 1. de temperam.

Quintò, Ariſtotelis, & Hippocratis authoritate fulciuntur, quorum primus adipis, tùm materiam, tùm cauſam calidam eſse docet ijs verbis [a]. *Seuum & adeps inter ſe differunt ſanguinis ratione, eſt enim eorum vtrumque ſanguis concoctus per bonitatem enutriendi conſiſtitque ex eo, quod in pulpam quidem animalis non aſſumitur, ſed concoctionis alimentique bonitate præditum eſt, indicat id pinguedo eorum, cum pingue inter humida commune ignis, & aeris ſit, quamobrem nullum ex ijs, quæ ſanguine carent, vel adipem habet vel ſeuum.* Hippocrates vero lib. de Carnibus. *Calidum vero pinguis ſedes, & Metropolis eſt, quod enim caleſcit primum omnium cum diffunditur pingue fit.*

Sextò, denique ipſius Galeni teſtimonium adducunt, qui [b] omenti pinguedine ventriculi calorem adiuuari ſcripſit. Huic opinioni ſubſcribunt Chriſtophorus a Vega, Ioubertus, & Argenterius, ſed hæc pariter ſuis difficultatibus, non contemnendis illaqueatur.

Ad primum enim ſi adipis materia ſit oleoſa, ſulphurea, & calida, quomodo ſubiectum rei tam calidæ frigidum eſſe poteſt? non ne orta ſua teſtantur principia? non ne plurima generatur pinguedo in mulieribus, in Caſtratis animalibus, in Piſcibus, Gliris, Taxis, Ericijs? Explicent ergo, quomodo a fri-

a 2. Part. Anim. cap. 5. b 4. de vſu part. 11.

à frigidis adeò temperamentis tanta sulphuris copia progigni possit, vel potius quomodo à tanto sulphure frigida illa corpora non efferuescere potius, quam torpescere debeant?

Ad secundum Adipem facilè ignem concipere, non est argumentum valdè probans, multa enim sunt adipe calidiora, quæ tamen non ita facilè incenduntur, vt piper, sinnapi, euphorbium, & multa etiam, quæ frigida existimantur ad ignem sunt prompta; à frigido enim lapide; sola percussione scintillæ ignis erumpunt, item è Piscium quorundam iecore colliquato oleum fieri testatur[a] Aristoteles.

Ad tertium si adeps bili est analogus, cur ergo corpora adipe saginata phlegmatica potiùs, ac torpida sunt, quam ad bilem concipiendam idonea?

Ad quartum, quod in Corde, & Renibus adeps inueniatur non ex inde illius caliditas conuincitur, adest enim, & aqua plurima in Pericardio, cui Cor ipsum innatat, nec ex eo aquæ caliditatem probaueris. Præter quam quod si à locis vbi pinguedo ad nascitur caloris, aut frigoris testimonia sunt desumenda pauciora quidem pro calore, quàm pro frigore militabunt, verum quid ego de Cordis adipe sentiam ad calcem huius dissertationis exponam

Ad quintum nempè ad Aristotelis, & Hippocratis textus asserentes à calore concoquente adipem pro-

[a] 3. De hist. anim. cap. 7.

progigni quidquid de his sentiamus, non inde tamèn certa est illatio, calidum illum esse. Nubes enim frigida, & fumus aquæ bullientis à calore Solis, atque ignis pariter eleuantur.

Ad sextum ex Galeno. Omentum adiposum non calefacit ventriculum proprio calore, sed vt laneum vestimentum, quod subiectæ partis calorem fouet.

Hisce vtrinque positis angustijs motus, vt puto Sebastianus Basso, cui subscribit Hyghmorus pinguedinis partes heterogeneas affirmat alias calidas, alias frigidas. *Neque enim* (ait) *tota est frigida, nec tota calida, sed partibus constat alijs calidis, alijs frigidis, itaut frigidæ calidas in se concludant.*

Cautiori vtique innititur sententiæ nescio tamen, an fœliciori partes enim hasce calidas, & frigidas, vt vt in Adipe concedamus, difficultates non soluit Basso, sed aliò transfert. Peto enim istæ partes heterogeneæ sunt ne ita dispositæ, vt præualeant calidæ, an vero frigidæ an æquà lance sunt refractæ? si alterutra præualet, ex illa temperamentum determinare debemus; in mixtis enim corporibus à qualitate prædominante calidi, aut frigidi denominatio desumitur, en igitur, quod pinguedo ex prædominio calida, aut frigida dicenda est pro quo prædominio determinando redeunt omnes illæ difficultates, quas in vtriusq. examine superius attulimus,

Si dicat quod æquà lance sunt refractæ cur ergo

ani-

animalia multo adipe ſcatentia, temperata potius, quam frigida, non ſunt cenſenda? cum tamen frigida eſſe nemo ambigat.

Ab huius quæſtionis anfractibus non antea expediemur, quàm pinguedinis materiam cauſam efficientem, & modum generationis ſingillatim examinemus, quibus probè intellectis in noſtram ſententiam placido itinere deſcendemus.

Adipis materiam eſſe ſubſtantiam quandam oleoſam, & fluxilem nemini controuerſum, quæ ſanè an à chilo cum Hippocrate, & Cecilio folio an à ſanguine cum reliquis omnibus ſit deducenda ſuperuacaneam cenſeo diſputationem, atque adipis naturæ indagandæ nil prorſus addentem, vel minuentem; cum enim totum id, quod in ſanguine, eſt à chylo proficiſcatur, vna & eadem res erit vtriuſque pars oleoſa propriam vtrobique indolem perpetuò conſeruans. Hanc autem oleoſam ſubſtantiam à ſanguine per modum euaporationis vi caloris eleuari, vt Hyghmoro, & Bauhino viſum eſt non ita facilè admittimus, nec Galenus, aut Ariſtoteles hoc aſſeruerunt ſed cum ſanguine circulans oleoſa illa materia muſculorum, & membranarum poroſitates permeat, ac tanquam per filtrum tranſcolatur, quod ſi cui difficile videatur dubium omne tollet Cardanus * vbi narrat. *Hominem igitur in-*

* Lib. de Hom. nat.

inter omnia esse tenuissimæ substantiæ, tum illius adipem ostendit sepulcrum Alexandri Ducis Florentiæ, quod cum ex candidissimo marmore, crassoque constaret, pinguedine tamen cadaueris transeunte fœdatum est maculà, tum basis, decidentibus in eà guttulis columnarum. Si ergo cadaueris adeps per marmora exsudauit, quid in corpore viuente non penetrabit, vi caloris attenuantis, & partium tunicas rarefacientis?

Accedit in huius rei confirmationem solertissima Malpighij obseruatio, asserentis, ac demonstrantis ad esse Omento, & reliquæ pinguedini sua vasa peculiaria, ac ductus adiposos, ex qua re non aspernabilem coniecturam facit vasa hæc per vniuersam pinguedinem, in ambitu etiam corporis propagata ab omento veluti radice fortasse fluere cum enim omentum dorso alligetur, veluti centro totius corporis, non videtur incongruum medià adiposà membranà, quæ per vniuersum propagatur, in omnem corporis regionem disseminari posse, sicuti de lymphaticis, licet insigni, & comuni trunco careant, obseruamus: alia plurima scitu dignissima de adipis, tùm generatione, tùm vsu scrutatur Author ille, quæ hìc transcribere, non fuit animus, ne tanquam Æsopi Cornix pulchrioribus aliarum auium pennis vestiremur.

Ex his ita se habentibus colligitur, iam adipis cau-

ſam efficientem, non eſse calorem concoquentem, vt placuit Ariſtoteli, ſed ſimpliciter cauſam adiuuantem, nec vllum ex inde pro adipis calore argumentum deſumi, ſufficit enim ad illius generationem tantùm adeſſe calorem, quantus ad congelationem impediendam ſatis eſt, qui ſanè in quolibet etiam frigido Animali eſt admittendus; nam piſces, nullo caloris manifeſti beneficio, plurimam aggregant pinguedinem.

Minùs erit vera altera adipis efficiens cauſa à Galeno aſſignata nempè frigidum condenſans; tale enim frigus actuale in corpore viuente, nec reperitur, nec ad pinguedinis generationem eſt neceſſarium, ſicut enim fumus aquæ bullientis in ollæ coopercuIo, licet calido denſatur, & in guttas aqueas iterùm relabitur, ità liquor ille oleoſus à membranis coerceri, ac denſari poterit in formam adipis abſque vllo frigoris interuentu; vndè patet eius denſationem fieri potiùs per compreſſionem à corpore denſo, & minus calido, quàm per conſtipationem à frigido. Hinc pariter vanum eſſe conſpicimus Galeni argumentum pro adipis frigiditate; ex frigido condenſante deſumptum. ſufficit enim in partibus illis membranoſis, ac denſioribus non eſſe tantam caloris vehementiam, vt compræſſioni præualens, oleoſæ ſubſtantiæ colliquationem, ac reſolutionem cauſet, quod à calore febrili fieri ſolet.

Ex-

Explosis ergo à calore eleuante, vel à frigore condensante, desumptis argumentis pro adipis naturà indagandà necesse est vt in illius materiæ oleosæ examine laboremus, quæ cum sit sulphurea, non vnquam satis explorabitur, nisi prius bene intellecto sulphuris elemento, & proprietate.

Sulphur esse subiectum ignis; & caloris non per se solum, sed permixtum cùm particulis nitrosis, vt in puluere pyrio, non est cur hoc loco probemus, cum satis superque Authorum experimenta demonstrauerint, & nos alias in Embrione philosophico diffuse tyronibus insinuauimus.

Huiusmodi doctrinæ sistemate sit mea conclusio, ac definitio. *Adeps est animantium substantia sulphurea, nitro non permixta, ex defectu caloris resoluentis plurimum aggregata.* singulas definitionis expendamus particulas.

Dicitur *substantia sulphurea*, & hoc est genus definitionis per quod conuenit cum cœteris oleosis liquoribus, vt oleo, & bile.

Addo *nitro non permixta*, & hæc est differentia per quam ab oleo, & bile discriminatur, oleum enim plurimis est refertum particulis nitrosis; quod ex eius amurcà luculenter innotescit, qua caret adeps, bilis etiam, vt spagyricà constat analisi plurimum salis in se habet nitrosi, vt ex amaritie colligitur; vnde meritò tam hæc, quam illudcalida cen-

ſentur, quia ad fermentandum apta calorem in corporibus, & efferueſcentiam excitant, atque hæc eſt ratio cur adeps bili ſit analogus, pinguia verò temperamenta bilioſis ſint contraria, non enim, vt bilis fermentari, atque efferueſcere per ſe ſolum eſt aptus; quod ſi commeſtus in bilem conuerti aſſeratur, id ſolummodò, contingit in temperamentis gracilibus, ac bilioſis, vbi nitri copiam inueniens, cum illo fermentatur, & efferueſcit.

Addo vltimò. *Ex defectu caloris reſoluentis plurimum aggregata*. & hæc eſt ratio cur ex duobus hominibus eadem comedentibus, vnus pingueſcat, non alius, ex cibis enim oleoſis ſanguini oleoſitas comparatur, quæ in temperamentis gracilibus, & nitro ſcatentibus per efferueſcentiam, & maiorem corporis tranſpirationem ſecundùm potiorem partem reſoluitur, pars autèm reſidua in bilem potiùs, quam in adipem conuertitur, in frigidioribus verò, & nitro, non abundantibus corporibus ob fermentationis defectum, venarum exilitatem, & membranarum denſitatem impeditâ tranſpiratione in adipem. coaceruatur; vndè illud Hippocratis [a] *Cutis colligatio Carnis incrementum*, & Galenus [b]. *Quidquid in ſanguine* (inquit) *pingue leue, & tenue eſt, id in calidioribus corporibus alimentum quoddam calido fit, in frigidioribus ſeruatur, cumque id*

[a] Ep idem. [b] 2, De temp: cap. 4:

id venæ extra se transmiserint, ubi in frigidas particulas incidit, quod genus membranæ sunt circum eas concrescit, in partibus verò calidioribus, cuiusmodi carnosæ sunt, à calore ipso absumitur, ac digeritur.

Concludimus ergo pinguedinem, nec calidam, nec frigidam esse, nec à calore, nec à frigore progigni; pinguia verò Animalia frigida omnia, non ex frigiditate pinguedinis, quæ nulla est; sed quod hæc sanguineis salibus acribusque particulis sit veluti ligamen, ac vinculum illas obtundendo atque infarciendo, ne ad incalescentiam fermententur, sicùt enim in sulphuris, ac nitri miscela, si nitrosæ particulæ sulphureis præualeant calor, atque ignis excitatur, ita è contra sulphureis, ac pinguibus præpotentibus nitro salinæ obruuntur, & ad incalescendum fiunt ineptæ. Exemplo sit lucernæ, aut candelæ igniculus, qui licet in oleo, vel seuo muniatur, ac vigeat ipso tamen oleo, vel seuo nimium affluente facillimè suffocatur.

Iuxtà hanc hypothesim non erit alienum inquirere, Primò, cur ex Hominibus aliqui carnosiores, aliqui pinguiores euadant, cum eadem sit materia alimenti, quæ in carnem abit, ac pinguedinem.

Secundò cur pingues sterilescant.

Tertiò cur in ætate prouectà magis quam in iuuenili pinguescimus, etsi in hac magis, quàm in illà comedamus.

Pri-

Primæ quæstionis rationem reddidit Galenus his verbis a. *Sicut enim naturali calore optimam seruante temperiem humidum quod intra sanitatis terminos est auctum non adipem, modò in Homine, sed etiam corpulentiam gignit, & adipem quidem parcius adijcit, carnem verò multò liberalius auget, ita rursùs, si humidum, & siccum mediocritatem ad vnguem inter se seruent, calor autem in homine sit minor necesse est huius corpus adipe. quam carnis copia magis abundet; at verò si calor augeatur seruetque mediocritatem altera contrarietas minus erit ei Animali adipis, quàm carnis, sicut è diuerso si quando pollet siccum, alterà contrarietate medium modum seruante, & gracilius, & durius corpus euadet.*

Summa totius doctrinæ est hæc. Calidum temperatum, & humidum adauctum auget, & adipem, & carnem, sed plus carnis, quàm adipis.

Humidum temperatum, & calor debilis plùs adipis quàm carnis.

Humidum temperatum, & calor maior plùs carnis, quàm adipis.

Siccum excedens, & calor moderatus, nec adipem, nec carnem.

Hæc tamen doctrina, & si in parte sit vera, adhuc tamen difficultates relinquit, cur nimirùm ex eodem humido temperato calor debilis adipem, calor

a 2. De temper. cap. 4.

lor maior carnem efficiat? an fortaſſe cenſet Galenus, adipem, & carnem differre tantùm ſecundum magìs, & minùs, itaut adeps ſit veluti carnis rudimentum à calore debili incohatum, quod maior calor perficere potuiſſet? non ne caro ſolidior, & craſſior eſt adipe? ergo adeps calore incraſſatur, vt in carnem euadat; at calore adipem liqueſcere, docuit ipſe Galenus confirmat experientia; prætereà adſunt in carne fibræ, ac filamenta vnde eius ſoliditas emanat, quomodo ergo calor moderatus eas produxit, quas minor in adipe nequiuit? at illas, non eſſe ſubſtantias oleoſas tactus, & viſus optimè diſtinguunt.

Soluentur ambages omnes ſi dixerimus habitum carnoſum, reſpectu gracilis, & pinguis eſſe tanquàm medium inter duo extrema. In habitu gracili propter nitri fermentantis exceſſum reſoluto in alitum alimento, nec caro, nec adeps generatur, in pingui propter nitri, & fermentationis defectum, adipis copia coaceruatur, in carnoſo tandem propter moderatam nitri menſuram, & fermentationem, ex alimento ſuperſtite, caro potiùs, quam, adeps conficitur; ſanguis enim in carnem conſolidatur, non à calore, maiori, vt credidit Galenus, ſed à ſalis vi coagulante, quod ſanè iucundo experimẽto demonſtrabimus: Inijce in ollam ſanguinis lib. vnam adde, & miſce ſalis communis vncias duas circiter, di-

digere loco calido per horas 30. vel 40. ablue aquà frigidà, carnis frustum remanere videbis fibris, ac filamentis intextum.

Alteram quæstionem ita explicauit Aristoteles[a]. *Quin etiam obæsa omnia steriliora ea de causà sunt; quantum enim ex sanguine proficisci ad genituram, & semen genitale debeat hoc in adipem, aut seuum sumptitatur, sanguis enim, cum concequitur adhoc transit itaque aut nullum omninò excrementum in ijs ipsis consistit, aut parum.*

At hæc ratio nullo modo videtur admittenda, Primò enim, quomodo tantam sanguinis penuriam apud pingues fingit Aristoteles, vt, ne pauca quidem portio spermaticis vasis suppeditetur? non ne sanguis per illarum partium arterias, & venas circulatur? quid impedit ergo vasis, & parenchimatis suo munere fungi. Præterea, si ex eodem sanguine materia seminis, atque adipis elicitur, quæ stulta naturæ esset prouidentia semen negligere, vt adeps elaboretur, quando potiùs pro hoc vtili humore inutilis ille erat relinquendus? Denique hac ratione sequeretur obæsos semen in coitu, non emittere, quod, non modo est falsum, imò è contra copiosiùs, apud illos coaceruari dubitare possemus, eo quod pinguedinem renum ad vasa spermatica transmitti pro materià seminis fortis sit coniectura, in ca-

a 2. De part. anim. cap. 5.

canibus enim agnis, cuniculis, & cœteris ferè animalibus, vt notat Malpighius à membranis adiposis renalem pinguedinem vestientibus sacculus elongatus veluti vas versùs testes obseruatur, & in cane vas euidens à renali pinguedine ad spermatica vasa obseruauit seuerinus: Asserendum itaque pinguium sterilitatem non ex defectu, sed ex vitio seminis proficisci, quod nobis remanet explorandum.

Dico animantium, & vegetabilium fœcunditatem à sale, & præsertim nitroso proficisci constat veris Medicis, & Philosophis; hinc animalium nitroso stercore plantæ, ac segetes valdè fœcundantur hinc plantarum aquà salis nitri irrigatarum fructus in monstrosam magnitudinem adolescunt, ac multiplicantur; cùm ergò ex dictis superius oleosam sanguinis substantiam apud pingues, nitro destitui compertum habeamus, hinc seminis pinguedo ex illà ortum habens ob salis illius pauperiem sterilis, etsi copiosa conficitur.

Tertio problemati ex dictis responsio elicietur, in primis enim ætatibus, in quibus maior est calor ac fermentatio, maior fit etiam pinguedinis resolutio, immò pars oleosa sanguinis à nitro fermentante in bilem potius, quàm in adipem conuertitur, deficiente postmodum tractu temporis calore, ac fermentatione pinguedinis plurimùm aggregatur, & minimum resoluitur.

Quoniam verò à cordis adipe, vt superiùs tetigimus, argumentum pro eius caliditate ab aliquibus fuit desumptum non erit à meo instituto alienum inquirere, quid de eò inter Authorum discrepantias sit decernendum.

Adeps circà cordis basim plurimus inuenitur, interdum enim illo ità planè occultatur, vt cor abesse videatur, quod obseruarunt Spigellius, Riolanus, & Iessenius in Principe Luneburgico: quæ cum ita se res habeat; vnde est vt Aristoteles, Galenus, & Auicennas asseruerint circà nullam calidam partem, vt cor Hepar arterias, & venas coire posse pinguedinem?

Fernelius album illud (vt vocat) cordi adhærens, non adipem esse verum, sed quid inter adipem, & carnem probare conatur, quià non, vt adeps liquatur; causam verò huius rei assignat, quia partes subtiliores ob caloris vehementiam abiernnt partes autem terrestriores à membranæ densitate, & aquà Pericardij cohibentur, ita vt concrescentes speciem quandam adipis retineant. Addit Bartolinus, adipem illum non verum circa cor innasci, quia cor durissimum, crasso sanguine, ex quo generatur seuum nutritur.

Contra hos tamen Authores, instantias ego afferam, quærens ab ijs, si partes huiusmodi terrestriores à cordis substantià euaporantes à membranæ

cras-

crassitie coercentur, cur intra partem internam potius ipsius membranæ, atque intra ventriculos, non fuerunt coercitæ, vbi magìs comprimebantur, quàm in parte exteriori? prætereà contra Bartholinum, si ille adeps est de natura seui, quomodo à calore cordis non liquatur, cum seuum non secus, ac adeps calore quouis liquetur? Rursùs, si illud est seuum quomodo Aristotelis [a] doctrina saluabitur asserentis animalia vtrinque dentata adipem producere, cornigera verò seuum, eorum carnibus, ac terrestriori naturæ respondens? At homines non cornigeri, nec terrestris naturæ, non modò seuum generabunt, sed in parte calidissimà, nempè corde copiosissimum coaceruabunt.

Hygmorus nihil implicare ait, quod illa substantia circa cordis basim sit verus adeps, & eandem cum adipe aliarum partium originem habeat, quod autem, non liquescat inde fieri posse arbitratur, quià cum in loco tam calido coalescat, non ob remissionem caloris id fit, sed ob virtutem partium figentium insignem, quæ adeo sit efficax, vt etiam fugientes apprehendat vapores, & ante fugam coerceat, & condenset, atque ob hanc illarum partium contumaciam, & cruditatem tàm difficilis, aut nulla fiat per cordis calorem resolutio.

Neque hæc responsio mihi satisfacit, peto enim

E 2 ab

a l. De part. anim. cap. 5.

ab Hyghmoro istæ partes figentes generantur in corde, an potius sunt in ipsà massà sanguinis? non primum, alioquin cor, cuius virtus est sanguinem rarefacere, & in spiritus excitare duas oppositas virtutes in se contineret, non secundum quia si istæ partes figentes essent in sanguinis massà, cum hic per omnes corporis partes circulando distribuatur, multò magis in alijs partibus huiusmodi insolubilem pinguedinem deponeret; quàm in corde, vbi maiorem inuenit calorem coagulationi reluctantem. Cum itaque apud Authores nulla sit responsio difficultates soluere apta, aliam ego excogitaui, pro cuius tamen intellectione aliqua rogo vos sinatis me premittere de aquà pericardij, licet alios de hac materià doctè admodùm differentes audiueritis.

In vacuo inter cor, & capsulam ambitu serum quoddam, siuè aqua continetur, qua externa cordis superficies perpetuò humectatur, ne alioquin ex perenni agitatione, & calore arescceret, & corrugaretur, vnde autem humor iste proueniat, olim non ita rectè pronunciatum videtur; plerique enim humòres serosos ab æstu cordis in nubem eleuatos, ac densitate huius membranæ coercitos in aquam istam condensari, & pro ratione temperamenti plus in calidioribus, in frigidis autem minùs abundare statuunt, verùm si hanc originem huius aquæ concedamus, vtique non apparet, quarè maiore copià ple-

plerunque ibi non congeratùr, quippe cum humores à continuo cordis æſtu in nubem ſuſcitari debeant, quid impedit, quo minus in copiam iuſto maiorem, quantamque hæc capſula continere, non poterit augeatur? præterea, cum continui incrementi fuerit, ni ſimùl exitum alicubi habeat, aut diutinâ ſtagnatione corrumpi, cordique infenſa reddi, aut ſaltem nimiâ eius inundatione cor ipſum obrui neceſſe ſit.

Quarè, vt aquæ huius fontem alibi quæramus aduertere opportet cum Louerio naturam in varijs corporis partibus, vbi functionum eadem, aut æqualis ratio eſt, ijſdem plerunque machinis atque inſtrumentis vti, & quemadmodum glandulas lacrimales ad humorem ſuggerendum, quo oculi madefiant, conſtituit, pariter & iuxtà cordis baſim diuerſas glandulas collocauit, è quibus humor intra capſulam extillat, & in vacuo iſto ſpatio hùc, illùc agitatus cordis ſuperficiem vndique alluit, quo promptior, & facilior eiuſdem motus redderetur.

Porrò humorem iſtum, non merè excrementitium, aut inſtar aquæ ſtillatitiæ, ſed ſeri potius nutritij, è ſanguine promanantis partem eſſe ex indè conſtat, quod ignis calori admotus, non alitèr, quàm ſerum ſanguini innatans poſt venæ ſectionem, aut Lympha è glandulis ſecreta in gelatinam albam incraſſatur, qualem conſiſtentiam, nec ſudor,

dor, nec vrina qualicunque coctione acquirit, sed vel omninò in auras exhalat, vel in sabulum induratur. Vnicum super hac re obiter notandum, experimentum hoc faciendum in animalibus benè constitutis, & violentà morte peremptis, vtpotè quorum sanguis sero nutritio redundat, nàm in morbo defunctis, aut longà inedià confectis sanguis succo chiloso prorsùs destitutus huiusmodi sero spoliatur, nec illum Pericardio suppeditat; Ceterum in saniorbus tàm manifesta res est, vt aperto iugulati Bouis pericardio magnam plerùnque gelatinæ copiam inuenias.

His ita se habentibus, iam tempus est, vt meam de cordis pinguedine proferam sententiam, pro qua exponenda, dico primò contra Hyghmorum cordis pinguedinē non esse vllo modo veram pinguedinem, sed substantiam omninò diuersam, quod ex dictis, ibi probatur nàm non ardet vt pinguedo, non liquescit calore vt pinguedo, & ad candelam stridet ob aqueam substantiam, annotante Iasolino.

Dico secundò materiam talis fictæ pinguedinis, non prouenire ab intrinseco cordis, puta ab eius substantià, aut ventriculis, sed ab extrinseco illi apponi, atque inherere, quod mihi videtur manifestum, nam si ab intrinseco exudaret, sisterent quidem, ac comprimerentur ij vapores sub membranà ipsius cordis, non autem suprà; vt ibi obiecimus.

Di-

Dico ſecundò materiam illam, non ſolum à calore cordis liquari non poſſe, immò potiùs ab ipſomet calore concreſcere, & condenſari ad inſtar Seri nutririj, aut albuminis ouorum, quod ad ignem induratur, vt res ipſa demonſtrat, alioquin inexplicabile erat, quomodo in parte calidiſſimà tanta fieri poſſet coagulatio, niſi eſſet materia ad ignem dureſcens.

Concludo vl·imò materiam talis fictæ pinguedinis eſſe lympham Pericardij, quæ cordis foco iugiter efferueſcens, paulatìm concreſcit eiusque inhæret ſuperficiei tenaciter ad inſtar litocollæ; Atque ob huius materiæ fixitatem, argilloſamque ſubſtantiam contigiſſe veriſimile eſt, quod cor Germanici cremari non potuerit referente Suetonio, & Senecâ, licet Seneca à veneno hoc accidiſſe putauerit, cui Spigellius adſtipulatur, veneno ſcilicet ſanguinem in cordis ventriculis figente, & condenſante; ratio autèm non ſatisfacit, nam ſi à ſolo ſanguine fixo in ventriculis, & ad ignem reſiſtentià promanauit, quid obſtare potuit, ne ſaltem extrinſeci parietes comburerentur? niſi à tali gelatinà potiùs, quàm pinguedine incraſſati ignis violentiam effugiſſent?

At enim verò, quià pinguia bileſcere ſuperiùs memorauimus, vereor equidem, ne tàm copioſo adipis conuiuio ad bilem, & nauſeam vos prouocauerim.

DE PVRGANTIBVS.

OPerosa iam diù Medicorum in scholis agitatur, quæstio in quo nam virtus illa mirabilis resideat, qua purgantia pharmaca succos humani corporis euacuant [a]. Galenus primariam purgationis causam decernit familiaritatem quamdam substantiæ inter medicamentum attrahens, & humores atttractos huic autem è diametro opponitur Laurentius Ioubertus [b], statuitque purgantium in humores actionem non esse sympaticam, & attrahentem, sed antipaticam, & expellentem [c]. Thomas, autem Erastus purgantia pharmaca non aliter agere decernit nisi per violentiam, & vim naturæ illatam, eam ad expulsionem humorum irritando; placeat paululum contrarias hasce doctrinas ad trutinam reuocare.

Et primò contra substantiæ familiaritatem à Galeno propositam acerrimè insurgit Ioubertus, cuius equidem argumenta, an satis probauerint, ignoro. Omissis ergo illis fortiorem substituamus instantiam petendo à Galenicis, quænam intercedat similitudo substantiæ inter coloquintidem calidam, & siccam, atque amarissimam, ac pituitam insipidam, atque frigidam? Inter helleborum, aùt fumariam calore, & amaritudine præpollentes, & me-

[a] 5.Simpl.c.25, [b] 2.Decad.paradox.9. [c] De occult.medicam.propriet.

melancoliam frigidam, atque accidam? Inter ſiccam, & calidam ſcialappæ radicem, aut carthami ſemina, inter acerrimos, & cauſticos titimalos timeleiam, cucumerem ſilueſtrem, & inſipidas, ac frigidas hydropicorum aquas, & ſeroſitates?

Oppugnatà purgantium virtute ſympaticà, antipaticam probare nititur Ioubertus, non tamen, vt puto, meliori ſorte, ipſe enim ſibimet obiectionem proponit, quam tamen ſatis ne ſoluat conſiderabimus. Cliſteres purgantes, inquit ille, deberent, poſità contrarietate, non expurgare per inferna; ſed pellere ad partes ſupernas, & hoc idem contingeret in purgantibus per os aſſumptis, quæ ad ventriculum peruenientia humores quidem, qui ſunt in partibus à ventriculo ad ſedem per ſeceſſum fugare deberent, qui verò ſunt in capite, aut cruribus nullo modo ad ipſum trahere poſſent. Reſpondet Ioubertus obiectioni, partium nobilium robur, ac ventris inferioris debilitatem efficere, vt natura à medicamento irritata ad ipſas partes aluinas, vtpotè debiliores humores propellat; ſed inepta quidem, & metaphyſica potiùs, quàm phiſica ſolutio, quæ tunc ſolùm probaretur, quando ſola naturæ irritatio, vt Eraſto placuit purgationis eſſet cauſa; ſi verò conrrarietas medicamenti cum humore pro causà primarià ſupponitur, quomodò ſecundaria, nempè irritatio naturæ humores ad aluum tranſmi-

F ſiſſet

fiſſet, primariâ reluctante? Sicut enim Oceanus vento agitatus non impingit naues ad eam partem, vndè ventus exſufflat; ſed ad contrariam, ita natura Cathartico vexata non ad eam partem humores propellet, vbi ipſum catharticum ſpatiatur.

Sed nugis iſtis omiſſis, addam ego pariter contra illum non minoris roboris inſtantiam. Rhabarbarum bilem euacuat, cum qua tamen multam habet ſimilitudinem nullam contrarietatem, conueniunt enim in colore in temperie calidâ, & in amaritudine, qua ratione aſſerit Galenus, medicamentum, quando non purgat, conuerti in ſubſtantiam humoris illius, quem expurgare debebat.

Sed, vt vnico ictu ambas haſce ſententias proſternamus, arma ſubminiſtrabunt Meſue, Trallianus, & Mattiolus. De aloe ſcripſit Meſuè, quod purgat bilem, & pituitam, hanc eandem promiſcuam operationem de ſcammonio teſtatur Trallianus, de Rhabarbaro, & Elitropio Mattiolus; ſi igitur ratione vniformitatis, vel contrarietatis ea medicamenta humores expurgarent, eſſet vtique illotum ſympatia, vel antypatia, cum bile ſimùl, ac pituitâ humoribus contrarijs, quod eſt impoſſibile.

Tertia erat Eraſti ſententia, qui ſympaticam Galeni, & antypaticam Iouberti virtutem æquè reſpuens naturæ tantummodò irritationem admittit, contra quam tamen inſurgunt Galenici validiſſimo.

mo, vt putant; argumento, nimirùm, si purgantis actio tota reciperetur in naturà, sequeretur, quod hæc non talem humorem determinatum, sed vel quemlibet indistinctè, vel illum, qui ad exitum magis est dispositus relaxaret, nec vlla esset ratio superstes cur Rhabarbarum bilem extraducat, Agaricum pituitam, quandò vna eadem vtrique sit actio, nempè naturam irritare.

Achilleum, vtiquè argumentum; si humorum selectionem in Purgante supponamus, at si hanc inficiabimur, an erit fortè piaculum inexpiabile? Fuit olim Asclepiadis opinio medicamentum, quodcunque non peculiarem sibi humorem attrahere, sed illum potiùs alterare corrumpere, & in propriam quasi naturam conuertere; quam sententiam vetustate collapsam restaurare conatus est Thomas de Villis, atquè illustrare. Appello, ad Magistram experientiam, quoties enim videre vobis contingit ab vno, eodemque cathartico succos heterogeneos euacuatos, albos, nigros, virides, eruginosos? quoties propinato hydragogo crassos magis, quàm serosos humores vidimus extraductos? non ne Rhabarbarum suam vrinæ tincturam communicat? quid non etiam croceos per aluum humores tingere potiùs, quàm trahere, non rarò credemus? quemadmodum à chalybe, vel Cassià nigra vacuari compertimus non quod nigra inueniant, sed quod efficiant;

Quod si Asclepiadis nomen galenicis auribus malè sonat Hippocratis authoritatem substituamus, quæ purgantium actionem indifferentem constituat, ait ergò lib. de naturà hom. *Cum quis pharmacum biberit, quod bilem deducit, primum bilem vomet; Deindè pituitam posteà per vim etiam atrabilem, postremum moribundus etiam sanguinem purum vomet; eadem perpetiuntur à medicamentis pituitam ducentibus, primùm enim pituitam voment, deindè bilem flauam, posteà atram, morientes autem sanguinem purum*. item libro eodem paulò infrà. *Si eidem homini idem pharmacum quater in anno dare velis vomet tibi hyeme, quidem pituitosissima, verè autem humidissima æstate biliosissima, autumno nigerrima*. Vlterius lib. de Medicinis purgantibus. *Eodem, inquit, medicamento purgante purgantur, & non purgantur quandòque vero alia purgat, quàm quæ purgare solet, aliquandò nimium purgat, aliquando ea, quæ debet, facit*.

Explosà purgantium electione, corruit Galenicorum obiectio contrà Erasti sententiam; alio tamen argumento contrà præfatam naturæ irritationem insurgit Peclinius *a*. *Vt enim*, inquit, *talis fieri possit irritatio sensilis primùm membrana, & fibra motrix in arterijs ostendenda fuit, quod vt suppositum hactenùs, & ex antiquitate receptum hodierna*

a De purgantib. cap. 15.

na infringit experientia etenim arteriæ subtiliter exenteratæ, ac decoctæ nullas huiusmodi spargunt fibras, non ergò motu proprio, ac perystaltico vti possunt. Scio hic vastum quæstionis in labyrinthum me concidisse, recentiores enim Galeni sententiam, motum hunc arterijs ex facultate concedentem rationibus, & experimentis, iterum, contrà, Harueium substinere conantur. quidquid tamen sit de hac quæstione, quam soluere non est huius loci propter validissimas rationes, & experientias vtrinque militantes, etiam si concederemus contra Pechlinij experientiam, quod in arterijs fibræ sensiles, adsint irritationem patientes, in hac solà tamen purgãtium consistere virtutem, vt placuit Erasto non est credendum, si enim à solà irritatione penderet purgatio, aromata omnia, & acetum, vt maximè acria, & vellicantia omnium maximè essent purgantia.

Quarè; vt sententiæ probabiliori subscribamus quærere primo loco opus est, quæ nam sit vera forma purgantium, secundò quale sit, eius formale, siuè modus operandi; tertiò in quo differant purgantia, vomitoria, & lenitiua; quartò deniquè quæ sit vera, & realis purgantium diuisio.

Exordiendo à formà purgantium hæc sanè ignis formæ videtur æquiparanda, vt enim illa nullibi, certam habere videtur existentiam, sed, & in carbone, & in ferro, & in oleo, & in stuppâ indiffe-

ten-

renter progignitur; ita virtus purgatiua, & in amaris, vt Coloquintide, Aloè, Rhabarbaro, & indulcibus, vt melle, saccaro, & Mannà, & in acidis, vt tartaro; ac Tamarindis, & in insipidis, vt agarico, hermodactilis, & mineralibus nonnullis residere conspicitur; In hac igitur heterogeneà purgantium familià, aut plures esse purgationis modos est opinandum, aut ea cuncta, licet discrepantia in aliquà re vniuocè conuenire, quæ sit vera purgantium forma, atque vltima differentia.

Obseruandum preterea, quod hæc vis purgatiua neque in tota substantià vnius, & eiusdem purgantis, sed in aliquà tantùm parte reperitur, quod in Rhabarbaro, Aloè, & Mirobolanis est manifestum, à quibus elicità per infusiones, ac digestiones totà purgatiuà tincturà, quod remanet non modò ad purgandum est ineficax, sed virtute adstringente præpollet.

Cum igitur forma purgatiua non in totà vegetabilis substantià reperiatur, erit sanè in illa parte oleosà, & pingui, quæ congruo mestruo solet extrahi, & quà extractà, illud, quod remanet virtute purganre omninò destituitur. Pingue hoc extractum in mineralibus sulphur vocant, in vegetabilibus Resinam, In vtrisque sapam vocauit Pechlinius, ductà similitudine à sapà vulgari, quæ ex musto cocto conficitur; hæc autem Resina; siue

sa-

ſapa, licet ſulphuream ſubſtantiam ad ſenſum maximè referat, non tamen vnicum tantummodò ſulphur eſt; ſed plura retinet coadunata principia, vt ſpagiricà analiſi videre eſt, ſi enim ſuccos plantarum purgantium ad ignem euapores; reſolutà parte aqueà nullius virtutis, remanet ſapa multò agens potentius, & ſucci iacturam impunè ferens, ſin autem ſuccos illos deſtilles ſpiritum indè extrahes ad purgandum inutilem, qua in re hallucinantur Chymiaſtri quidam ægrorum palato adblandientes, immò, & ipſe Thomas Eraſtus, qui ex chymicà Rhabarbari deſtillatione aquam, ſiuè oleum purgans elicere ſuadebat, quos tamen Ioanni Langio, redarguendos committam, qui lib. 1. Epiſt. medic. epiſt. 53. hæc ſcribit. *Aqua per alembiccum de colocintide, aùt Rhabarbaro extracta aluum ſubducere nequit, cum tamen illorum dilutum, in quo ſaltem aliquot horis macerantur id facilè præſtabit*. Clariſsimè hoc Roſarum experimento conuincitur; quarum è ſucco purgante, ſi aquam, aùt ſpiritum deſtilles illam nullo modo ſoluentem, hunc etiam adſtringentem, ac roborantem inuenies.

Redeamus ad ſapam purgantem, quam ſi igne chymico vrgeas in varia diſſolues elementa, oleoſa, ſpirituoſa, ſalina, & quod mirandum nulla amplius ex illis partibus vim retinet purgatiuam euidens argumentum, formam purgantem reſultare ex

cer-

certâ mixtione, ac proportione olei, ſpiritus, & ſalis.

Quod adſit oleoſa pinguedo oculis, & manibus facillimè innoteſcit, in Rhabarbaro enim glutinoſum aliquod includi ſola manuum contrectatione cognoſces, ſic ſcialappæ, & Turbith, gummoſæ radices, & quò magis gummi refertæ, eo ad purgandum validiores ad oculum ſunt manifeſtæ; gummi prætereà indicum, olei ſui copià totum ad ignem exardeſcit; vſus autem, & neceſsitas oleoſi elementi, erit procul dubio viarum aſperitatem emollire mordacem ſalis acrimoniam coercere, & communi ſpiritui apprimè connectere, cuius auolationem retardare ſit efficax. hinc ſales volatiles longà fortè maceratione, aùt ſecretà quadam induſtrià, cum oleis coniunctos aluum citius educere, quàm puros ſyluius fide dignus eſt Author.

Spirituoſi, ſeù volatilis elementi præſentiam, ac neceſsitatem indè licèt arguere, quod vis illa purgatiua cum tempore ſenſim langueſcat, tenueſque recedat in auras, hinc medicamenta, quamplurima ſpiritu hoc volatili ſcatentia infuſione potius, quàm coctione ſunt adhibenda, præſertim ſena, & Rhabarbarum, & ex mineralibus crocus metallorum, quorum volatile à calido euaporatur; hinc Aſarum non eſſe coquendum monuerunt Augenius, & Helmontius, & ſapientiſſimè Rulandus infuſione vtebatur ad purgandum, decoctione verò ad ſudores eli-

eliciendos, vt proindè castigatione dignus censeri debeat Septalius, qui in Confect. Hamech, senam, & Rhabarbarum excoqui præcipiat; optimè itaquè pharmacopolæ rosarum infusiones oleo superinfuso ab externi aeris auolationem promouentis inuriâ defendunt: quid plura? omnium primus Hippocrates purgantium partem spirituosam, ac volatilem calluisse docuit, cum scribens ad Crateuam, vt medicamenta quædam ad eum transmitteret, hæc habet [a]: *omnia autem medicamenta, quæ succi, liquoresque fluidi sunt, in vitreis vasis ferantur, quæ verò folia, aùt flores, aùt radices sunt in fictilibus nouis probè obturatis, vt ne ventis perflata medicamenta vigorem, velùt in animi deliquium collapsa amittant.*

Tandèm tertium in sapà distinguitur principium, acre scilicet, & salinum, quod vehementium purgantium præcipuum est elementum, in helleboro, Coloquintide, Euphorbio, Esulà, Elaterio, scammonio, & eiusmodi alijs apprimè elucescens. Salinæ huius acrimoniæ in Purgantibus actiuitatem optimè distingues, aduertendo, præfata medicamenta, quantùm præparantibus, aùt corrigentibus à vi purgante eneruantur, tantundèm etiam de illà acrimonià remittere, quæ prætereà, vt benè notat Pechlinius, non purgationis duntaxat; sed etiàm altera-

G tio.

a Epist. 16.

tionis potissima est administra quatenùs nimirùm, viscidos, & crassos humores incidit, & attenuat; quæ sanè attenuatio non nisi ab acribus, aut acutis sperari potest.

Sed, vt purgantium naturam ab ipsâ naturâ doceamur, placeat mecum expendere, quæ sit in corpore animantium Bilis indoles, atquè ænergia, hæc sanè vocatur, & verè à Galenicis Clyster naturalis, eo quod à Cysti felleâ per ductus cholidocos ad intestina descendens, ibi naturalem alui solutionem prouocat & sæpè dyarrheas vbi luxuriet: Bilis igitùr si ad spagiticam analisim reuocetur, modicum spiritus, oleosi sulphuris, salisque acris plurimùm reddet, Elementa vtiquè purgantium Resinæ, vel sapæ apprimè conformia, in Ictero autem morbo, ob salis ignauiam, acrimoniâ, & amarore destitura bilis ad aluum subducendam euadit inualida, indè alui stipticitas, & in vasis biliarijs obstructio, oleosâ visciditate præpollente; contrà verò in Cholerâ, alijsque alui fluxibus symptomaticis adaucta nimis bilis acrimonia humorum massam dissoluit; quod si eadem bilis retorrida euadens, vt apùd Atrabilarios contingit, oleosâ pinguedine omninò spolietur, en licèt ferocior sit acrimonia, vis tamen purgatiua eneruatur, quod etiam in Rhabarbaro torrefacto experimur. hinc optimè Galenus 14. Method. cap. 17. flauæbilis euacuationem faciliorem, ni-

græ

græ verò difficiliorem asseruit.

Explicatâ purgantium formâ, & Resinæ, siuè sapæ elementis, arduum non erit intelligere, qui sit eiusdem operandi modus, & quamnam in sanguinis partibus elementa illa inferant mutationem; agere enim in humores purgantia, non attrahendo, vt Galenus, non expellendo, vt Ioubertus, non irritando duntaxat, vt Erastus, sed fermentando, ac præcipitando cum Pechlinio compertum habebimus; vt enim fermenti cuiuslibet actio est massam, cui permiscetur rarefacere, ac tumidam reddere, talem in humoribus purgandis rarefactionem ad sensum vsque diiudicabimus, si venarum, & præcordiorum intumescentiam, flatus, anxietatem, pulsus frequentiam consideremus, quæ omnia purgationem imminentem præcurrere, & præsentem concomitari sunt assueta; post purgationem verò aliud habere contingit experimentum, quod mihi iam multis ab hinc annis primam huiusmodi fermentationis suspicionem intulit, sicut enim sæpè obseruamus estiuo præsertim tempore conseruas, & electuaria in vasis reposita vlteriùs adhùc fermentescere, & rarefieri, vt vltrà vasis margines præterlabantur, ità non rarò vidimus euacuationes medicamento promotas, quæ vix vltrà vasis medietatem extendebantur, paucas tamèn post horas, purgatiuo fermento adhùc superstite, intumescere, in spumam

eleuari, & vſquè ad ſuperficiem extolli.

Euidens ergò in purgandis humoribus fermentationis eſt motus, nèc ratio tamèn obſcura; prima enim Reſinæ purgatiuæ actio eſt in ſemetipſam, cum videlicet pars ſpirituoſa volatilis, adiuuante animantis calore, elaſticam, & expanſiuam vim incipit exerere, & ſeſe dilatando oleoſam, & viſcidam dilatare incipit, è cuius ſinu ſalinum, & acre elementum ibi inuolutum extricatur, & foras tandèm erumpit hinc taliter effrenata elementa, & venarum circulo intruſa ſanguinem, & humores agrediuntur, volatile inflando, ac rarefaciendo, oleoſum fluidos reddendo, acre verò viſcidos incidendo, & attenuando; hinc partes illæ heterogeneæ à ſanguinis fibris taliter extricatæ, & ad turgentiam tumæfactæ eiuſdem ſanguinis circulo iuxtà humorum diuerſam indolem, & ſecerniculorum ſtructuram celerrimè ad Cyſtim felleam, ad Pancreas, & ad glandulas inteſtinales præcipitantur.

Cur autem ex pnrgantium populo aliqua ſint cathattica aliqua tãtummodò lenitiua, aliqua verò vomitoria id, ex varià elementorum ſapæ actiuitate, & proportione pendere autumat Pechlinius, tria enim illa principia, quæ in Purgantium vehementium ſapà promiſcuè operantur, in Lenitiuis alterutra tantùm, & ſingillatim ſpectari aſſerit, vel enim fermentant ſolùm, & volatili abundant, vt Muſtum,

Ros,

Ros, Manna, Caſſia, Tartarum, Tamarindi, & fructus horarij, vel incidunt, attenuant, & ad præcipitationem diſponunt, & ſale acri præpollent; vt ſalia cuncta, tùm volatilia, tum fixa, tum muriatica, quò ſpectant aromata omnia, radix Aronis, herbarum ſalia lixiuiata, animalium vrina, ſal nitrum; ſal marinum, ſaccarum, & mel, vel deniquè emolliunt, humoribus, & vijs aſperitatem tollendo, & ad fluiditatem diſponendo oleoſitatis vigore, vt olea oliuarum, & amigdalarum, animalium pinguedines, & butirum.

Maior (vt puto) difficultas emerget in explorando quid vomitorium à cathartico diſtinguat: id in volatilis exceſſu firmauit Pechlinius, quò enim, inquit, aliquid erit volatilius eò faciliùs, & citiùs aſſequitur conatum ſuum ſtatim ergò, ac ventriculo receptum eſt, medicamenti effluuijs protinùs erumpentibus tunicarum rugæ, & glandulæ emolliuntur, & eijciendi conatus inſurgit; adiuuante præſertim fibrarum contractione ab effluuijs irritantibus vellicatarum.

At enim verò hæc Pechlinij ſententia maiores implicat, quam ſoluat ambages, ſi enim emolliendo agunt vomitoria, id ab oleoſo magis, quàm à volatili principio ſperare poſſumus, quod praxis Medicæ experimenta confirmant, cum oleis, & iuſculis pinguibus vomitum prouocamus; præterea emol-

emollire, & contrahere actiones sunt è diametro oppositæ, quomodò ergo ab vno eodemque volatili, & glandulæ emolliuntur, & fibræ vellicantur, & contrahuntur? quod si hæc vellicatio sit necessaria id melius salina, & acria, quàm volatilia præstabunt; nèc illud perpetuò verum est, quod ex volatilis in agendo celeritate, ac effluuijs citò erumpentibus, vomitus ante secessum prouocetur; multoties enim in praxi obseruauimus post copiosas alui deiectiones, serò tandem vomitum superuenisse.

In hac difficillimà quæstione, si quid ego sentiam effari liceat, vomitoria ad instar purgantium in duplicem classem distinguerem, alia scilicèt lenitiua, alia vehementia, in illis volatile oleosum in his verò volatile salinum, atque acre præcellere.

Lenitiua, & oleosa laxando potius, & nauseandò, non autem vellicando, vomitum ciere dixerim, vt olea, & iuscula animalium pinguia, & ipsa non raro lenitiua purgantia, præsertim in formà potionis; quod autèm volatili abundent ipsa olei, & pinguedinis natura indicat cunctis alijs supernatans; oleosum ergò fibras, & glandulas emolliendo, intimam volatilis penetrationem, atque adhæsionem adiuuat, & quià volatilis vis elastica sursum vergit, hinc motus fibrarum peristalticus inuertitur, & vomitus cietur; secus autèm in vomitorijs vehementioribus contingit, in quibus à sale acri; sed volatili exce-

cedente, vellicatio, contractio, & motus conuulsiuus neruosis fibris communicatur; hac ratione vomitum ciere, credibile est Helleborum, Cataputiam, ebulum, saluitrioli, antimonium, quorum volatile indè arguas, quod longà decoctione vis illa hemetica euanescat.

Redeundo ad purgantia, audio Galenicum, qui dictis hactenùs non dùm aquiescens à me percontatur; si ergò nulla datur purgantium in humores selectio, vndè est, vt tot Authorum testimonio medicamenta fuerint distincta in cholagoga, phlemmagoga, melanagoga, & hydragoga; quam sanè distinctionem non nisi diuturnà experientià duce in praxi, locum habuisse verisimile est.

Respondeo: hæc distinctio purgantium confusa quædam, & obscura veritatis fragmenta in se abscondit, quæ tamen frustulatim sunt decerpenda; reuerà enim nullum omninò medicamentum specificam habet vim purgandi potiùs vnum humorem, quam alium, vt superiùs probatum, alijs autèm de causis contingit, vt vnus interdùm educatur humor potiùs quàm alius, pro quarum intelligentia.

Dico primò supponendam in primis purgantium diuisionem in cathartica, & lenitiua, quorum prima extrahant à venoso genere, vltima verò primas tantummodò vias ventriculum, & intestina repurgent.

Dico secundò humores, qui continentur in vasis esse

esse actù tenues, & serosos, motu enim perpetuo fluunt vnà cum sanguine, ac circulantur, vndè est, medicamenta cathartica ferè omnia esse hydragoga, vt scammonium, coloquynthis, elaterium, ebulus, & alia innumera, quę si expurgato priùs lenitiuis ventre exhibeantur, humores tantummodò serosos à venis educent; si vero non purgato corpore, & serosos à venis, & crassos, qui primis vijs stabulantur promiscuè deturbant; Adde quod vi cathartici, attenuante, & incisiuà, humores etiàm crassi multotiès in serositates liquantur.

Tertiò, in primis vijs, vbi humores heterogenei stabulari solent, tùm crassi, tùm tenues, ac serosi, si lenitiua exhibita sint debilissima mouebunt, tantummodò serositates, & bilem tenuem, si verò maiorem habeant actiuitatem, pellent vnà simul viscidos omnes humores, pituitam, bilem vitellinam, aùt nigram, &, si qui sint humores tenues non relinquentur intacti, qui enim facit plus potest, & minus etiam facere; vndè est; vt exhibito quolibet purgante deiectiones ferè semper heterogeneas inspiciamus, & in principio crassas, in vltimo serosas; quod, si propinato Rhabarbaro, sola quandoque bilis excerni visa fuerit, id ex eo contigisse non dubito, tùm quod in morbis, ac temperamentis biliosis fuerit propinatum, in quibus bilis abundat non pituita, aut melancolia, tùm quià cæteris humoribus,

bus, & a bile permixtà, & ab ipso rhabarbaro tinctu-ram recipientibus sola bilis facies representatur, ac fallit.

Concludimus ergò, & nostram firmamus sententiam, duplex tantùm dari genus purgantium, Hydragogum vnum, phlegmagogum alterum, eaque non nisi in gradu actiuitatis, aùt humorum circumstantijs distingui, ab Hydragogis educi humores omnes tenues, siuè serosos, siuè chilosos, siuè biliosos, à phlegmagogis crassos omnes, siuè sit pituita, siuè bilis vitellina, aùt melancolia. Dixi autem Hydragoga distingui tantùm à phlegmagogis ex gradu actiuitatis, & resistentiæ; non verò essentialiter; potest enìm esse, vt vnum, & idem pharmacum iuxtà morborum, ac temperamentorum diuersitatem modò sit phlegmagogum, modò hydragogum, in vno scilicèt humores crassos euacuando, in altero, vbi crassorum sit inopia, aùt maior contumacia, tenues tantùm, ac serosos extraducendo, immò ampliùs in vno, eodemque indiuiduo, vnum, & idem pharmacum in morbi principio propinatum, quandò humores sunt crudi, nèc præparati, nil, prætèr serositates purgabit, concoctà verò materià crassos, & fœculentos humores. hac distinctione omnis omninò solui videtur nodus, & purgantium phœnomena ad sensuum trutinam expendi.

DE VSV RESPIRATIONIS.

ARduam aggredior materiam, in qua solertissimos rerum exploratores modernos, non magis à veteribus, quàm intèr se ipsos discordes adinuenio, tria enìm in hac vniuersà tractatione ad trutinam reuocanda sese offerunt; primò partes, siue organa, quibus Respiratio celebratur, quod facilius; secundò modus, quo eadem respirationis munus exercent, quod difficilius, tertiò vsus, siuè finis, proptèr quem Respiratio est instituta, quod difficillimum; Ad hunc vltimum consueta loci breuitas meam dissertationem restringet, reliquis omissis, quas alibi fusiori calamo pertractauimus.

Porrò compertum optimè habemus aerem inspiratum gustui, & olfactui deseruire, expiratum verò loquelæ, voci, tussi, sternutationi, catharri, & saliuæ excretioni, scimus retentum vrinæ, & fœcum egestioni partui expellendo, chyli, lymphæ, ac sanguinis motui aliquid conferre, àt nobilior adhùc inquirendus est vsus, cuius tanta est necessitas, vt cum ceteris recensitis diuiùs interdùm carere valeamus, nè vnicà quidèm horulà sinè respiratione viuere liceat.

Prima occurrit expendenda antiquorum sententia, quæ tamèn apùd Carthesianos, paucis tantummodò immutatis reuiuiscere visa est; hæc Respira-

tio-

tionis vsum præcipuum determinat Cordis refrigerationem, vitalis ignis ventilationem, contrà quam tamèn plurimæ, nèc leues insurgunt obiectiones.

Primò enìm considerat Io: Maiob in motibus violentis, quamquàm breuissimo tempore, itaùt sanguis non multùm incaluerit, intensiori opus esse respiratione, quàm in maximo aeris, aùt febrium calore, in quibus Cor, & sanguis maximè extuant, non ergò ad Cordis refrigerationem est respiratio.

Secundò, addere mihi liceat, apùd moribundos maximè adaugetur respiratio, quandò Cordis igniculum esse pusillum, & extinctioni iàm proximum pulsus exilitas conuincit; itèm apùd cacheсticos, hydropicos, aliosue huiusmodi, in quibus massa sanguinis crudorum humorum scatens indigestà saburà calore fermentatiuo potiùs, quàm refrigeratione indiget, magna tamèn, & anhelosa, vel ad minimum quemlibet motum solet esse respiratio.

Tertiò ex Boyle animalia quamplurima, quæ omni sensibili calore destituuntur, vt ranæ, quæ in aquà viuunt, respiratione tamèn egent, immò pisces, qui carent pulmonibus, aere tamèn carere non posse compertum est, nil autèm refert, an pulmonum ministerio an alitèr illo fruantur; Testis enim est Gassendus, pisces in vasis vitreis aquà plenis immorantes, si vas illud optimè obturetur, nè aer ingrediatur, citissimè mori, quod idem in stagno

congelato degentibus contingere, nisi fracto gelu superficiei, aeri aditus aperiatur in aquam, tùnc enìm pisces ad rupturas illas turmatìm accurrentes ore anhelo, & hiante aerem absorbere cernuntur.

Quartò, ex Boyle, & Borellio quàm stulta fuisset naturæ operatio, tàm grandem flammam in Corde excitare, quæ mox per respirationem reprimi deberet, quandò maiori compendio finis optatus temperiei haberi potuisset minorem flammam excitando? reuerà longè minorem excitauit, falsissima enìm non minùs, quàm insulsa est adurens illa in Cordis ventriculo caliditas, quam digito sustineri non posse Galenus somniauit, cuius rei vanitatem duplici experimento explorauit Borellius, primò enìm, forato pectore viui animalis, & immisso digito intrà Cordis vulnus, nullum ibi adurentem calorem reperijt, sed, vt in reliquis visceribus moderatum; indè vt certior adhùc fieret, in sinistrum Cordis ventriculum viui Cerui thermometrum insinuauit, viditque maximum gradum caliditatis non excessisse gradus quadraginta, quantus esse solet apùd nos gradus caliditatis solis estiui, & similibus thermometris calorem iecoris, pulmonum, & intestinorum mensurans in eodem Ceruo, nouit eodem gradu caloris foueri cor & cetera viscera.

Quintò ex eodem Borellio, non minus insulsa est fabula illa de caloris ventilatione, & fuliginum expul-

pul-

pulſione, aiunt enìm Cordis flammulam adinſtàr ignis, niſi aeris ventilatione à fuliginibus expurgaretur neceſſariò extinctionem, ac ſuffocationem paſſuram; èn ergò quòd reſpiratio vnicà actione calorem diminuit, & adauget, nèc enìm refrigerare poſſet niſi calorem diminuendo; nèc ventilare, & fuligines expellere, quìn focus ille vegetior, & alacrior euadat.

Erroris anſam antiquis Philoſophis dederunt vapores calidi, qui sùb fumi ſpecie ab ore animalium, hyeme præſertìm effluere conſpiciuntur, illos autèm non à Corde, vel ſanguine, ſed à glandulis Tracheæ faucium, palati, & narium prodire rationes plurimæ ſuadent. primò enìm ad aqueam ſeroſitatem à ſanguine excernendam capaciſſimam officinam excretoriam natura in renibus præparauit, abſquè eò quòd idem opus in pulmonibus repeteretur ad paucùlas guttas euaporandas; Prætereà aqua ex ſui naturà ſales ìn ſanguine exſiſtentes abſorbet vndè, quæ per vrinam, & ſudores excernitur acerrimo ſaleammoniaco impregnatur, ſi igitùr ſanguinis vapores aquei è venis pulmonum excernerentur; eandem acerrimam ſalſedinem ſecum veherent eàque pulmones lederent abſque vlla neceſſitate. Tandem experientia conuincit, vapores per expirationem eiectos inſipidos, ac dulces eſſe, ſimillimos ſuccis glandularum, ſecùs, quàm vrina; & ſudores, qui è va-

ſis

sis sanguiferis egrediuntur.

Modernorum plerisque recepta viget opinio, vsum respirationis primarium esse ad motum sanguini conciliandum, triplicem autèm in illo motum Truston obseruat, ac describit, motum nempè fluidi, siuè fermentatiuum, motum fluminis, siuè localem, & motum calidi ab ijsdem resultantem.

Huic tamèn doctrinæ, quam vniuersali ferè plausu Respublica Medica excepit, non ità facilè acquiescunt Io: Maiob, & Alfonsus Borellius.

Primò enim inquit Maiob, si Respirationis vsus præcipuus esset sanguinis conquassatio, & in minima diuisio, quilibet aer vtcunquè impurus, aùt multotiès repetitus huic ministerio sufficeret, àt compertum habemus, aerem, in quo diutiùs immoramur non ampliùs tandèm idoneum esse respirationi vtpotè exhaustis particulis illis vitæ substentandæ necessarijs, non ergò aer ad fluiditatem sanguini prestandam, sed ad aliquid aliud primariò instituitur.

Secundò confirmat experimento habito Londini coram Societate regià; nimirùm, si per folles asperæ arteriæ adaptatos animalis cuiusuis pulmones continentèr insufflentur, ità tamèn, vt per foramina in eorum extremitatibus hinc indè facta etiàm exeat aliquid aeris, qui iterùm per folles supplendus est nè pulmones collabescant; in hoc casu viuet animal, & tamèn hic nulla in perpetuò inflatis, & quiescen-

tibus

tibus pulmonibus, fiet sanguinis comminutio: Si tamèn econtrà inspirato aere os & nares alicui obturentur, in quo paritèr casu inflati manent pulmones; mori tamèn necesse est, quià non licet expirare, & tamèn æquè patet sanguini transitus per pulmones, vt in priori casu, ideo autèm in priori experimento viuit animal, in posteriori moritur, quià in illo nouus est perpetuò recentis aeris accessus, in hoc verò nullus, vndè clarè deducitur, ex aere inspirato aliquid vitæ prorsùs necessarium sanguini communicari, quo exhausto inutilis factus est aer, nèc ampliùs idoneus respirationi.

Tertiò exactam Chili cum sanguine miscelam in pulmonibus fieri non posse mechanicè demonstrat Borellius, vt enìm diuersarum rerum mixtio ad minima vsquè fieri possit requiruntur motiones vertiginosæ, & conquassationes ab vnà in alteram partem contrariam, quod fieri non potest nisi in locis amplis ad instàr sacci, vel vtris vndiquè clausi, talis ergò deberet esse pulmonum cauitas, quod falsum, componuntur enìm, ex innumeris canaliculis ramificatis, & strictissimis ad instàr radicum arboris; cum itaquè duo illi fluores contigui, sanguis nempè, & Chilus æquè velocitèr moueantur ad easdem partes, & non agitentur motibus contrarijs, ac repetitis conquassationibus, est impossibile, vt particulæ vnius cuneatim insinuentur intèr bi-

nas

nas quaslibet parriculas alterius.

Quartò aer ſanguini admixtus minuere potiùs, quàm adaugere illius fluiditatem eſt aptus, ſi enim adaugeret, ſpuma magis fluida eſſet quàm aqua pura, quod eſt falſum, nèc enim aer fluidior eſt aquà, cum illius particulæ ſint ramoſæ, & ſpirales, huius verò rotundæ, quaderè per anguſtos Corij poros aqua effluere poteſt, non verò aer.

Quintò geometricis demonſtrationibus anatomicam addamus, ſi quis enim Canem benè paſtum post aliquot horas exenterauerit, non modò dextrum, sèd & ſiniſtrum Cordis ventriculum candido fluore repletum adinueniet, immò ſi homini ſimilitèr nutrito, poſt horas congruas ſanguinem detraxerit, factà refrigeratione, ac ſeparatione chiloſam materiam à cruore diſtinctam obſeruabit, euidens argumentum, perfectam illam miſcelam non fieri à pulmonum contuſione.

Nèc ad motum ſanguinis circularem reſpiratio videtur neceſſaria, repugnat enim primò, teſte Maiob clariſſimum experimentum, quo probatur ſinè quouis motu reſpirationis ſanguinem per pulmones tranſire, ſi quis enim animali mortuo per arteriam pulmonariam ſanguinem inijciat, protinùs illum in ſiniſtrum Cordis ventriculum permeare obſeruabit, ſi ergò in mortuo, quantò meliùs in viuo?

Secundò ad quid tantà arte pulmones natura fa-

bre-

brefecit ad solam sanguinis transfusionem ab vno in alterum Cordis ventriculum, cum absquè tanto apparatu, àc tot periculis obnoxio potuisset per simplicem canalem, vt in Embrionibus sanguinē percolare, quòd si ad talem percolationem validà compressione à Pulmonum torculari indiguisse contendas, frustrà, inquit Borellius, actio tàm laboriosa ab inflatis pulmonum vessiculis exerceri videtur, quādò tutiùs, ac simpliciùs ope alicuius musculi talis compressio fieri poterat, vt in reliquis visceribus fieri solet.

Tertiò alteram & ego adiungam instantiam. Notum est, motum respirationis non respondere motui pulsus, in vnicà enìm respiratione pulsus quatuor aut quinque numerantur, & proindè in spatio quietis intermedio Cor, & arteriæ prosequuntur suos motus, si ergò quiescentibus pulmonibus intèr exspirationem, & inspirationem sanguis à circulando non remoratur, respiratio ad talem motum non erit absolutè necessaria.

Videtur Ioanni Maiob aer respiratus ad Cordis motum præcipuè conducere, supponens enim cum Villio alijsq. modernis, quod subita musculorū inflatio & cōtractio fiat à diuersi generis particulis rarefactis & explosis, talem, inquit, materiam explosiuam à sanguine arterioso, & succo neruoso duntaxàt procedere improbablle esse, liquores enìm vtcumq. diuersi ab eodem stagmate separati sinè quauis efferuescen-

tià rursùs vniri solent; spiritus autèm neruorum influi, & musculorum incolæ à sanguine vtrique procedunt, ergò ad explosionem faciendam aliquod extraneum concurrere debet, tùm in reliquis, tùm in Cordis musculo; huiusmodi, inquit esse particulas nitrosalinas ab aere inspirato procedentes, & sanguinis arteriosi vehiculo fibris appositas, hinc cessante respiratione, & nitro illo explosiuo deficiente, cessat pariter Cordis pulsatio, & sanguinis ad cerebrum affluxus.

Hanc autèm assertionem de aeris nitrosà, naturà controuertit Borellius; vel enim, inquit talis nitrositas dependet ab immixtione partium terrestrium quæ aerem inficiunt, vel ex proprià, & intrinsecà aeris naturà, si primum aer continebit nè dùm athomos nitrosos accensibiles, sed etiàm particulas gelidas, & condensationem inducentes, idcòque motum rarefactiuum sanguini non inducet, si secundum, in hoc casu nitrosa aeris natura, & vis rarefactiua erit mera conditio materialis machinarum eius, quibus tàm propitia, quàm noxia caliditas esse potest, machinæ enim aliquandò densari, aliquandò rarefieri à calore possunt, vt videmus in arcu ferreo, cuius rigiditas ab igne mollescit, à quo tamèn ligna ten[illegible], & [illegible]durantur.

Prætereà si particulæ aeris verè essent nitrosæ accenderentur à conta... flammæ candelæ, & crepitus efficerent. Ad-

Addit vltimò Borellius propriam sententiam; normam desumens ab Authomate siuè horologio, cuius vmbratilem similitudinem animalia videntur habere. Conflatur, inquit, horologium ex pluribus rotis, quæ à vi motiuà ponderis appensi regulares motus efficere coguntur; at quià tale pondus appensum, si liberè ageret, momento rotas omnes conuertendo ad instàr turbinis cursum horologij compleret, vt huic malo occurratur apponi solet libra, vel pendulum oscillatoriū, quod legibus mechanicis itus, & reditus æquitemporaneos efficiendo violentiam causæ motiuæ dirigit, & contemperat. Non dissimili ratione animalium vitam in perenni, & non interrupto motu consistère, ait; partes enìm omnes, tùm solidæ, tùm fluidæ, & spirituosæ motus edunt vitales certis, ac determinatis rithmis, ac periodis, quæ si precipiti cursu efficerentur non essent ampliùs vitales, nèc vita conseruaretur, talium profectò motuum principium esse spiritus impetum facientes nemini controuersum, qui tamen ob mobilissimam naturam furibundo, ac phanatico motu organa animalis impellerent, quarè, vt in horologio, sic in animali, siuè Authomate Naturæ adiungi debet machina regulatrix, quæ necessitate mechanicà refrenet vim motiuam, nè leges trasgrediatur à Diuino Architecto institutas; talis porrò machina, velùt pendulum Horologij suà vi oscillatorià motum san-

guinis, & ſpirituum regulare debet, nè curſu nimis concitato diſcurrant, & vt in horologio, amoto vel interrupto motu penduli, actio ceſsat, àc veluti ſuffocatur, ſic in animali, impedito motu aeris oſcillatorio vitam extingui neceſse eſt.

Specioſa hæc Borellij ſpeculatio mechanicis comparationibus abuti nimis mihi videtur; ſcio equidèm penduli motum in Authomate rotarum motus moderari, àt quomodò hoc idem in ſanguine ab aere contingere poſſit non video; pendulum enìm Authomatis, vt illius moderamen exerceat, æquali ſempèr motu, nunquàm interrupto, nunquàm adaucto moueri debet, àt quomodò de aere intrà ſanguinem hoc idem verificabitur, ſi vel ipſo fatente Borellio à mille cauſis, tùm externis, tum internis motus ille aeris oſcillatorius perpetuò alteratur? profectò animal dùm quieſcit, vel ambulat, dormit, vigilat, comedit, aliaſue naturæ operationes exercet, motus illos æquitemporaneos in ſanguine non recipiet, & tamèn ſiuè ambulans, ſiuè dormiens, ſiuè quid aliud agens optimà æquè fruitur valetudine, quod idem eſt dicere, àc motus naturalis Authomatis optimè exercentur.

Sed gratis interim concedamus Borellio tale aeris pendulum in ſanguine, non dùm tamèn intelligo naturalis cum artificiali ſimilitudinem, eatenùs enìm ceſsat motus rotarum in horologio, quatenùs corda

da illius velociter tracta consumpta est, totaque rotarum axi remanet obuoluta, at animalium corda nempe sanguis quantumlibèt velox sit spirituum impulsus, axi illi nunquàm obuoluitur, sed perpetuum prosequitur circulum, ità namquè quotidiè obseruamus in febribus magnis alijsue motibus violentis spiritus, & sanguinem motu celerrimo, & impetuoso agitatos, nèc tamèn mors repentina superuenit, vt impeditâ respiratione.

Rursùs, nèc in tali sententiâ intelligere queo ad quid natura perpetuum illum aeris ingressum, & regressum instituerit, non nè enìm satis erat tale pendulum semèl in sanguine permiscere, & includere absquè tali continuâ renouatione? quarè ergò factâ inspiratione animal citissimè moritur, quandò aeri iam ingresso suos motus oscillatorios exercere nihil prohibeat?

Deniquè experientia conuincit, quòd eo tempore, quo propter motum aliquem violentum spiritus motores cor & sanguinem celerrimè agitant, crebriore etiàm, & maiori opus habemus respiratione, econtrà pulsum rarum, & quietum lenis, & placida respiratio concomitatur; aer ergò respiratus videtur potiùs ad spirituum motum concurrere, quàm ad illorum retardationem, & altero etiàm confirmatur experimento, si quis enìm eo tempore, quo respirationem retineat proprium pulsum exploret, si

non

non tardiorem saltem nullo modo celeriorem adinueniet, & tamèn ob penduli deficientiam, phanaticus ille, & effrænis spirituum motus erat expectandus.

Intèr tot doctrinarum semina discrepantia, laudabilem messem non anteà colligemus, quàm triticum â lolio secernamus, vnaquæque enìm è recensitis sententijs aliquid veri in se habere mihi videtur à falsis tamèn repurgandum.

Exordientes a veteri galenicà, quod aer respiratus ad sanguinis refrigerationem quandòque inseruiat, non omninò negare debemus; sensus enìm vniuscuiusque fidem facit in estiuo calore, cum in locis montanis; vel subterraneis frigidiorem aerem quæritamus, eoque mirumimmodùm recreamur; sed nèc paritèr inficiandum, eàdem facilitate, atque exigentià ab aere calido hyemali tempore nos refici, ità vt respiratio, & refrigerando, & calefaciendo indifferentèr iuuare possit, quarè nèc refrigeratio, nèc calefactio erunt vsus primarius respirationis.

In sententià recentiorum communi tres illos sanguinis motus fluidi, fluminis, & calidi per aerem respiratum promouendos non omninò reijciendos existimamus; & primò, quo ad motum fluidi, non ex eo admittendus videtur, quià, vt inquit Truston, pulmonis vessiculæ aere turgidæ vasa sanguifera comprimant, & continuis ictibus sanguinem subigant; vt enìm huiusmodi trituratio dari possit,

ne-

necesse est, vt corpus triturans sit solidius, & grauius triturato; quomodò ergò solidiores sanguinis partes, ab aere leuiori, ac tenuiori subigi poterunt? adde, quod ad talem triturationem requireretur pulmonum contractio, & compressio vehemens, at eorundem motus in respiratione placidus est, ac mitis nullam præseferens violentiam. Ratio itaquè magis congrua hæc mihi videtur. Motus fluidi est motus fermentatiuus, quidquid ergò fermentationem promouere est aptum fluiditatem etiàm necessariò adaugebit; quòd verò aer particulis fermentatiuis sit refertus quotidiana docet experientia in syruppis, conseruis, electuarijs, alijsque huiusmodi, quæ aeri exposita facillimè fermentantur, & intumescunt. Quoniàm verò hæc sanguinis fluiditas non est certis terminis determinata poteštque Anasarcà laborans cum sanguine parum fluido diù viuere, non erit motus fluidi vsus primarius respirationis.

Motum fluminis in sanguine absquè etiàm respirationis motu celebrari posse iàm satis superquè demonstrauimus, non ex eo tamèn putandum talem motum nihil prorsùs à respiratione adiuuari, quidquid dicant Maiob, & Borellius, argumento sit respiratio anhelosa post cursum, vel motum alium violentum; cum enim à spirituum, & musculorum agitatione sanguis affatim in pulmones impellatur, à vasis sanguiferis nimium turgidis pneumo-

monica angustiantur, vndè hæc maiori insurgunt respirationis conatu, quo & ipsa turgentia sanguiferis reluctentur, & cruorem affatìm irruentem celeriùs in venam pulmonariam impellant, nèc enìm placet opinio Maiob existimantis vehementem illam respirationem causari non à sanguinis alluuie, sed à necessitate restaurandi iacturam nitri explosiui factam in motu violento. Primò enìm hæc ratio locum tantummodò haberet apùd illos qui per motum violentum maximè sunt defatigati, & spiritibus exhausti, àt videmus, ex celeri schalarum ascensu iuuenem viribus alacrem anhelosè respirare. Secundò respiratio vehemens fit cum sensu quodam grauitatis atque oppressionis in thorace quæ sanè requirit causam positiuam, nempè sanguinis appulsum non verò priuatiuam, vt spirituum exhaustum. Tertiò si nitrum illud explosiuum ad motus musculorum exercendos requiritur, ad motum etiam respirationis qui pariter est muscularis erit necessarius, quarè ab illius penuriâ sicut ceteri musculorum motus deficiunt, ità etiàm respiratio deficere potiùs debet, quàm adaugeri: credibile ergò est motum sanguinis circularem à respiratione non nihil adiuuari, non quidem ab aere in sanguinem ingrediente, hunc enim motum illum retardare potiùs inferius demonstrabimus, sed à pulmonum motu pressiuo, ac veluti peristaltico: attamèn ex dictis patet, nequè
hunc

hunc esse vsum primarium respirationis.

Quo ad motum calidi, scimus cum Aristotele, motum esse causam caloris, si ergò à respiratione, motum fermentatiuum, & circularem adiuuari posse probauimus necessariâ sequelâ caliditas etiàm promouebitur; neque implicat admisisse superiùs cum galenicis refrigerationem ab aere respirato, sicùt enìm qui gelidum bibit vinum, ab eodem primò refrigeratur, postmodùm calefit, ità aer respiratus, post primam illam in sanguine refrigerationem peractam, particulis fermentatiuis incalescentiam causare potest.

In sententiâ Io: Maiob controuerti non possunt euidentissima experimenta quòd in hoc aere ambiente partes aliquæ respirationi sint idoneæ, & ad vitam necessariæ reliquæ verò sint inutiles, vndè necessitas expirationis, post inspirationem exorta est, hinc sapientèr Paracelsus pulmones ventriculo comparauit, sicùt enìm, inquit, ventriculus alimenta concoquit, partemque in vsum corporis conuertit aliamque reijcit, ità pulmo partem aeris consumit, aliamque proscribit; àn verò partes vtiles sint illæ nitrosæ à Maiob assignatæ, Borellius, qui negauit, alias loco illarum exponere tenebatur: enimuerò spiritus nitrosi existentiam in aere conuincit eiusdem nitri generatio, nitrum enìm non nisi è solo ab aere impregnato elicitur, immò si terra, à qua ni-

trum omne fuerit elixiuiatum, aeri exponatur, ea denuò, post aliquod temporis spatium nitro abundabit, certo vtiquè indicio, aerem hunc circumfusum sale quodam vniuersali indolis nitrosalinæ esse refertum.

Quod autèm obiecit Borellius, ex contactu candelæ accensæ debere aeris particulas nitrosas accendi, & crepitus efficere, respondeo, accensionem sequi in eà parte tantummodò, vbi fit candelæ contactus, quià ibi tantùm, explosis vi ignis partibus heterogeneis, atquè humidis, aeris resistentia superatur, eo modo propemodum, quo idem ignis in candelà accensus non statìm totam excurrit candelam, quià primarum partium resistentia ipsam aliquandiù remoratur, nèc à tali accensione crepitus sunt expectandi, nitrum enìm è sale fixo, & volatili constare compertum est, illum à terrà, hunc verò ab aere mutuari, crepitus autèm in deflagrando fit à sale fixo quatenùs volatili reluctatur, vt in tonitru, àc fulgure obseruamus, nullus ergò in puro àc simplici aere potest emergere, vbi volatilis residet, sinè fixo. Hæ igitùr particulæ nitroaereæ erunt probabilitèr illæ quas inspirando secernimus, àc retinemus, reiectis per expirationem alijs nitroso spiritu iàm spoliatis.

Quo ad vsum respirationis à Maiob assignatum, non negauerim, ad motum Cordis, & ceterorum musculorum aerem respiratum concurrere,

haùd

haùd tamèn admittendum censeo, aeris vim illam explosiuam cum sanguine ad cor delatam ibidèm cum spiritibus nerueis confluere, & luctam excitare; primò enìm hoc modo in Cartesij, & Hogelandi errorem denuò incideremus Cordis motum efferuescentiæ in ventriculis factæ tribuentium, ex qua illud sequitur inconueniens, quod Cordis actio in diastole necessariò consisteret, cum tamèn in sistole euidentissimè sit reposita; præthereà Cordis ventriculus dexter æquè mouetur, àc sinister, & tamèn sanguis ad illum per venam cauam delatus aere explosiuo iàm est exhaustus; nèc is, qui nupèr inspiratur ad illum, aduerso sanguinis amne, deferri potest.

In sententià Borellij quàm satìs, vt puto superiùs confutauimus, quæstionis ansam exortam vidimus, àn aer respiratus sanguinis motum adiuuet, vt communis Recensiorum erat doctrina, àn potiùs retardet, vt Borellij mens est, circà quàm difficultatem ità distinguendum putarem. Duplex in liquoribus est obseruanda fluiditas, altera interna, quæ fit à motu intestino particularum, & vocatur à Trustone motus fluidi, dicerem ego motum attenuationis, & rarefactionis, altera externa, quæ consistit in motu progressiuo siuè locali, & rectè dicitur motus fluminis, primus ille motus, nempè fluiditatis internæ, ex aere sanguini admixto negari non

K 2 po-

potest, aeris enim spicula nitrosa crassioribus sanguinis particulis incuneantur, easque dissoluunt, àc rarefaciunt; nèc instantia de spumà à Borellio hìc allata locum hic habere potest; probat enim illa contrà fluiditatem externam, & progressiuam, non verò contrà internam, quæ, cùm in attenuatione, àc rarefactione, vt diximus, consistat, quis spumam aquà tenuiorem esse, àc rariorem negabit? secundus verò motus, nempè fluiditatis externæ, & progressiuæ, dico, quòd ab aere in sanguinem ingrediente necessariò retardatur, non quidèm, vt inquit Borellius, quià spuma minùs fluida est quàm aqua, nèc quià aeris particulæ sint ramosæ, aquæ verò rotundæ, his enim, etsi probaretur maior in aquà quàm in aere fluiditas, non æquè tamèn probaretur in sanguine præsertìm chiloso, fibroso, & lentescente, & proindè ramosis partibus aere longè magìs referto; sicut ergò aqua tepida frigidam calefacit, calidam refrigerat, ità aer aquæ fluiditatem retardare posset, sanguinis verò adaugere.

Ratio autèm mechanica hæc potiùs mihi videtur. Motus fluminis progressiuus fit ab impulsu quodam continuato, quo primæ partes fluidæ impelluntur à secundis, & hæ à tertijs, & sic deincèps, quo autèm maior est antecedentium partium cum subsequentibus vnio, & equilibratio, eò maior ab his in illas resultat impulsus; contrà verò, si secundæ flu-

minis

minis partes,ad instàr marini fluctus intumescerent àc sursùm attollerentur, tantò minor erit progredientium impulsus, quantò maior erit aquarum in altum eleuatio. Hoc posito, aer in sanguinem ingrediens, Ibìque suam vim elasticam retinens,& exercens motum expansionis orbicularem prosequetur, quo sanguinis flumen intumescens, velùt vnda maris à vento, ab æquali, & continuato progressu non nihil retardabitur.

Sit ergò conclusio,& nostræ sententiæ pronunciatio. Animalium vitam à spirituum animalium motu, ac distributione omninò pendere, omnibus puto satis innotescere; hi enìm sensationes, tùm externas, tùm internas, hi motus omnes, tùm voluntarios, tùm coactos vbiquè soli peragunt, & ab eorum interceptione, aùt defectu, vita omnis repentinà, ac læthali obscuratur eclipsi. Huiusmodi spirituum generationem à sanguinis parte puriori, aerisque inspiratu celebrari, trita est galenicis doctrina à Recensioribus non controuersa, præterquàm ab Harueo, & Hygmoro, quorum rationes in nostro Embrione philosophico olim satis expendimus, & confutauimus; èn itaquè euidens Respirationis vsus, atquè necessitas. Vita à spiritibus omninò dependet, spiritus sinè aere nequeunt elaborari, vita ergò sinè aere conseruari non potest; talis autèm aeris, àc respirationis interceptio citissimè strangulatos, inter-

terficit, quià per laqueum gulæ applicitum non modò aeris in tracheam prohibetur ingressus, sed & intrà carotides arterias sanguinis ad cerebrum ascensus omninò intercipitur, vndè apoplectici moriuntur; si verò sanguiferis vasis nùllatenùs impeditis respiratio deficiat, tandiù vitam perdurare credibile est, quandiù sanguinis iàm aere impregnati, spatiumque vltrà pulmones vsquè ad cerebrum occupantis perdurat ascensus, quo tandèm elapso, àc depauperato, alius, qui à corde, & pulmonibus accedit, aere omninò destitutus, nèc ad spiritus animales, nèc ad vitam idoneus censeri debet.

In huius confirmationem accedat cl. Malpighij obseruatio, Insecta videlicèt, quorum partes dissectæ viuunt, atquè mouentur, per totum spinalis medullæ ductum vasa pneumonica propagata obtinuisse; Puncta enìm nigricantia, quæ in vtroque spinæ latere reperiuntur tot velutì tracheas esse adnotauit, per quas Insecta aerem hauriunt, si enìm spicula illa oleo illinantur, animal ob spiritum preclusum statìm expirat, vt proindè fateri liceat, apùd Insecta spiritus animales non tantùm in cerebro, sed etiàm in medullæ spinalis protuberantijs, veluti in tot cerebellis per totam spinæ longitudinem extensis elaborari.

Hinc deniquè patet ratio, quarè aeris purioris selectio, tùm ad morbos curandos, tùm ad sanitatis

tis

tis robur conseruandum adeò sit efficax, vegetiores nimirùm atquè alacriores spiritus progignendo, quæ sanè ratio nulla esset, si soli sanguinis motui aùt promouendo, aùt exercendo deseruiret.

DE ICTERO.

De Ictero aliqua dissertutus, antiquam Romanorum superstitionem memorià reuoluo, infausto homine ducentium in ianuæ limine cęspitare; malis enim fortassè auibus de hoc morbo me loquuturum formido, dùm in ipso denominationis vestibulo, incerto, àc fallaci gressu prolabentem me sentio. Icterum alij volunt à græco nomine Ictiros, quæ est siluestris mustelæ species eodem habens colore tinctos oculos, vt Icterici; alij ab Ictero aue eiusdem coloris, qui, & Galbulus latinè dicitur, quem, si spectet Ictericus sanari Plinius enarrat, sed auem mori. Quid de altero nomine, morbo nempè regio putandum? de quo insulsam Quintus Serenus ethymologiam exposuit eò carmine.

Regius est verò signatus nomine morbus,
Mollitèr is quoniàm celsà curatur in aulà

Alij verò ab auro, regio metallo denominatum affirmant; sed enimuerò nil aliud regium morbus hìc portendere mihi videtur, quàm obscuram arcanorum congeriem profano vulgo non penetrandam;

de-

deferamus ergò libentèr cognitionem quid nominis, vbi cognitio, quid rei, maiori negotio nos exercebit.

Primum, & communissimum Galenicis omnibus de ictero systema, vesiculæ biliariæ, aùt vasorum adiacentium obstructionem decernit; qua nimirùm, bilis ad cholidoca, & intestina expurgari prohibita cogitur in sanguinem retrogradare, indequè in cutem suas extuberantias dispergere. Manifesta talis obstructionis indicia ab alui stipticitate, & fœcum cineritio colore desumuntur, deficiente nimirùm bilis irritamento, ac tincturà.

At enimuerò hæc sententia earum videtur esse, quæ plus habent ætatis, quàm veritatis; etsi enìm præfatam vasorum biliarium obstructionem controuertere non sit animus, in eà tamèn icteri caussam, & essentiam constitui haùd facilè credet, qui illum sepè alui fluxu comitatum aspexerit; Præterea intelligere nequeo, quomodò, tanta bilis retentio, àc turgentia febres tertianas, aùt ardentes perpetuò non accendat, quandò potiùs hoc morbo detenti non modò febri immunes, sed cum insolità, àc penè morbosà pulsus tarditate conspiciantur.

Insupèr, nèc explicari satis poterit, quid in morbis acutis, ictero superueniente, tàm subitam fecerit vasorum obstructionem, præsertìm, cum aluus diarrhea laborans, & fæces bile saturatæ soleant tùnc apparere.

Tan-

Tandèm eandem esse rationem flauæ icteritiæ, & nigræ credibile est, sed in nigrà nulla sunt nigri humoris receptacula obstructa, ergò nèc in flauà ad huiusmodi obstructiones est recurrendum.

Hanc symptomarum discrepantiam, immò contrarietatem moderniores Galenici obseruantes duplicem icteri speciem statuere coacti sunt, alteram à meatuum cysticorum obstructione, quam alui stipticitas, & fæcum albedo concomitetur. Alteram à bilis turgentià, quam diarthea, & sæpè febris precurrant, aùt sequantur; sed nèc ista distinctio difficultati satisfacit, si enìm bilis turgentia icteri causa est admittenda, cur febres ardentes, Coleræ, aùt alij huiusmodi morbi bilis extuberantiam redolentes, ictero perpetuò non afficiuntur? Non nè etiàm illa species, quæ à vasorum obstructione dependet, ex prohibità expurgatione bilis necessariam inducit turgentiam? Quid ergò vetat in his etiàm febres accendi? nil enìm refert, àn plurima fuerit producta, àn plurima retenta.

Ioannes Baptista Helmontius post multas, more solito, filacterias, nimirùm, quòd icterus non fiat à flaua bile, quòd flauedo sit stomaci, & intestinorum proprietas, quòd eàdem stercus liquidum naturalitèr polleat absquè bilis miscelà, quòd icteri fermentum non raró totum cruorem, & carnes ipsas in flauum liquamen transmutet, àc per diarrheam

L deij-

deijciat, & alia huiusmodi somnia vsquè ad nauseam premissa, icteri essentiam in duobus constituit, quæ simùl ad illud progignendum concurrere debeant.

Primum est alienatio secundæ digestionis (nempè illius, quæ fit in Duodeno,) qua chylus descendens peruertitur, tàm secundùm eam partem, quæ in cruorem est mutanda, quàm secundùm aliam, quæ in stercus liquidum intrà intestina facessit.

Alterum est alienatio Distributiuæ stomaci, caussam verò efficientem assignat fermentum prætèr naturam virulentum, quo pylorus ità afficiatur, vt Digestiua simul, & Distributiua alienentur, & virus illud, vel in Duodeno residere asserit, vel ab ileo communicari. Sed enimuerò mirabilis, immò ridicula res est, vt qui tanta in Galenum, eiusquè doctrinas iactauerit conuicia, ipse tandem Galenicis omnibus infelicior ad specificas qualitates, & inanes facultates turpitèr confugiat; quis enìm ignorat, in ictero, sicùt, & in alijs quamplurimis morbis Digestiuam, àc Distributiuam vitiari? Non nè, vel ipso docente Helmontio, ab huius Distributiuæ, errore, fluxus symptomatici, Apostemata, partium ariditates, alijque morbi dependent? Doceat ergò quis causam illam vniuersalem modò ad icterum, modò ad morbos alios determinet? Non nè hypocondriacà laborantes affectione vitiatam illam in duo-

Duodeno digestionem; ac distributionem pluribus manifestant symptomatibus? Quid ergò illos omnes ictericos fieri prohibet? Vno verbo, si Helmontium nouisset Cæsar Caporalis, ad Mecenatis consultationem procùl dubio vocasset, apùd quem longà vigilià ægrotantem Medici consulentes.

E conclusero tutti à voce viua,
Che Mecenate non haueua sonno;
Quest' era la cagion, che non dormiua

Eadem enìm omninò videtur facetia non dormire, quià somnum non habet, si causa somnum non habendi remanet inquirenda, ac ictero laborare, quià coctiones, & distributiones non benè fiunt, si talium operationum vitia ab ignoto Duodeni veneno fieri explicentur.

Franciscus Laboe Siluius a, congruam icteri caussam in vasorum obstructionibus, nèc ipse adinueniens in humoris naturà, & conditionibus nititur indagare. Præmittit ergò, tanquàm innegabile, aliquid spiritus volatilis per neruos ad hepar deductum bili admisceri, cuius gratià bilis suà naturà oleosa, & cum alijs non facilè permiscibilis, probè admisceri valet, & ab hoc spiritu valdè volatili copiosiùs bili admixto, ipsamquè spirituosiorem faciente; icterum produci posse; experimento probari inquit, nàm largiores vini generosi, aùt aquæ

L 2 vi-

a In praxi Medica.

vitæ potatores, sæpissimè incidunt in icterum, immò, & à veneno viperæ causari paritèr asserit, quod, cum celeritèr paritèr operetur, naturæ volatilis, & spirituosæ omninò censendum; hinc à bile spirituosiore factà, ductus biliarios ad contractionem irritari asserit, vndè illarum obstructiones.

In hac tamèn sententià discrepantes, & contradictorias doctrinas fateor me, nèc intelligere, nèc conciliare posse: afferam illius verba numero trigesimo primo. *Nàm propter oleositatem comitem difficiliùs admiscetur rebus omnibus sal lixiuius, cui quotiès iunctus est spiritus volatilis, totiès aptior fit ad illam cum singulis commixtionem absoluendam*, deindè numero quadragesimo secundò *adeò vt non videatur mihi absurdum, vel improbabile bilem ad icterum producendum reddi nùnc à veneno viperæ nùnc à potu generosiore nimium spirituosàm, & hinc humoribus omnibus, se intimè iungendam minus aptam*. Ergò in Siluij sententià, spirituositas, & volatilitas dat bili mixtionem, impedit bili mixtionem.

Prætereà non nè altera est contradictio dicere numero quadragesimo octauo *quod à bile spirituosiore factà irritentur ductus ad sui contractionem*, quandò superiùs numero 31. dixerat *A miscelà spiritus volatilis, bilis salem lixiuium temperatiorem, àc blandiorem reddi?* si ergò salis lixiuij

uij refrangitur actiuitas, minuetur sanè, non augebitur illius irritatio.

In hac arduà, & obscurà quæstione, vt aliquid verosimilius indagare valeamus, aliquas propositiones, seù principia fundamentalia præmittere opus erit, quæ tanquàm faces in hisce tenebris præluceant.

Prima erit propositio omnibus, vt puto, innegabilis; In ictero quouis siuè cum febre, siuè absquè febre, siuè cum alui stipticitate, siuè cum diarrheà fieri sempèr, bilis à reliquo sanguine disconpaginationem, àc segregationem; vndè meritò fellis diffusio fuit nuncupata.

Secunda; bilem esse partem sànguinis oleosam, àc pinguem plurimo sale, àc sulphure in aquà dissolutis constantem.

Tertia, Nota illa Hermeticorum hùc reuocanda doctrina, aquam, & sulphur, elementa discrepantia, nèc intèr se consociabilia, accedente sale vtrique analogo inter se dissolui, & consociari; hìnc experimento constat, oleum, aùt butirum in aquà supernatantia, addito sale, vel saccaro, eidem aquæ incorporari, & permisceri; Itèm aquas tartaro abundantes, olei portionem aliquam dissoluere.

Ex his consequens necessarium èst deducendum, quotiescumquè oleosa illa sanguinis pars à reliquo san-

sanguine segregatur, totiès eam sale destitutam esse, aùt debità mensurà deficientem; & econtrâ quotiescumquè salinà parte bilis spolietur, totiès eiusdem sulphuream substantiam à sanguine secerni debere, & in icteritiam diffundi. Bilis hæc, salino, aùt nitroso fermento destituta, quid mirùm si ad febriles efferuescentias inepta remaneat? si glutinosà, àc viscidà substantià meatus cysticos, & hepaticos infarciens, decantatas illas obstructiones pariat, quæ non icteri causæ, sed effectus sunt pronunciandæ, & sanè cum vasa semper sint eadem, nèc nisi culpà fluidi transeuntis obstruantur, talis meatuum biliariorum obstructio, bilis ipsius vitium præcedens supponit, vt proindè icterica diathesis antè hepaticum, & cysticum, cribrum sit constituenda; quam, & in cribris, & post cribra subsequatur obstructio.

Salinum hoc, & volatile fermentum per neruos in bilem infundi, vt Siluius putauit, non improbabile existimo, non in eam tantumodò, quæ in cysti fellea reponitur, sed, & in eam, quæ intrà vasa sanguifera circulatur, ad quæ neruorum transcolationes reportari compertum est, additi tamèn fortasè sunt neruuli illi vessiculæ felleæ, de quibus loquitur Siluius, quià bilis ibi ob moram ac turgentiam facilè stagnans nouo soluente indigebat, hinc melancolicis, ac diuturnis animi passionibus icte-

rum

rum frequentèr superuenire obseruamus, vt etiàm studijs, ac vigilijs, succis, ac spiritibus nerueis, vèl deficientibus, vel debità exaltatione carentibus, vèl ad sanguinis, & bilis eraria non refluentibus,

Maior longè remanet difficultas enucleanda in alterà illà icteri specie, quàm febris, & alui fluxus concomitatur, vtpotè cui enarratum systema neutiquàm accomodatur, non enim bilis glutinositas, aùt obstructio est supponenda, quandò biliosa per aluum excernuntur, nèc fermenti nitrosalini defectus, vbi febres excitantur.

Porrò ad horum phœnomenon explicationem, altera hermeticorum præmittenda doctrina, scilicèt, ab omni liquore tantam salis copiam dissolui, & incorporari, quousquè ad saturitatem sit impregnatus, quà expletà, granula salis residua, tanquàm arenulæ in fundum precipitantur, ex quo colligere possumus duplici ratione, bilem à reliquo sanguine disiungi posse, & ad icteritiam disponi, vèl quià sale vniente destituatur, & hoc est antecedens systhema, vèl quià licèt sale conuenientèr abundet, quià tamèn ad turgentiam excreuerit, tota à sangninis partibus aqueis, iàm saturatis, imbibi non potest, sed ab illo in corporis partes precipitatur, hìnc pars illius in cutis ambitum disseminatur, pars ad cholidica descendens, alui fluxus promouet, pars verò cum sanguine efferuescens, calores excitat febriles.

Cur

Cur autèm præfata bilis extuberantia, & à sanguinis compage dissolutio non semper in icterum degeneret, sed interdùm solas febres, interdùm choleras, aùt diarrheas, interdum vtrasquè progignat, ratio adhùc vlteriùs remanet inquirenda. Ad huius intelligentiam, animo perpendamus opportet, morbos, à bile oriundos, licèt eandem causam agnoscere videantur, non sempèr tamèn intèr se analogos, quinimmò potiùs contrarios interdùm existere; proùt enim excedit in bile salinæ partis acrimonia, vèl oleosæ visciditas, ità contrariæ indolis morbos indè resultare necesse est; excedit in diarrheà salis acrimonia, deterior eiusdem excessus apparet in cholèrà, eadem salis actiuitas viget in Herpete, erisipelate, & similibus, excedit econtrà pinguis, & viscida pars in ictero iàm descripto, excedit tandèm vtraquè pars in tertianis vehementibus, & ardentibus febribus; quam sanè distinctionem roborant manifestè consuetæ in praxi curationes; coleras enìm dulcificantibus, & salina spiculà obtundentibus curare solemus, icteros attenuantibus, volatilibus, & salinam acrimoniam redolentibus, febres verò vtrisquè opportunè, iuxtà varia earundem tempora, & mutationes; si itaquè in bilis redundantià pars salina vehementèr prepolleat, non icteros, sed diarrheas, aùt choleras promouebit, si hac deficiente pars pinguis, & oleosa redundet, non diar-

diar-

diarrheas, sed icteros, & obstructiones; si verò salinæ partis irritantis non omninò sit penuria, itaùt exuberantem in cisticis bilem stagnare prohibeat, erit quidèm alui lubricitas, & diarrhea, dùm interim oleosa iam prepotens cutaneis parietibus adhærens icteritiam inducit; fortiorem huius rei coniecturam facit duplex in praxi obseruatio; Prima est icteros, qui alui fluxu donantur, paucis tamèn post diebus in alui stipticitatem fæcesquè albas degenerare, altera est, febres acutas, vèl ardentes, vbi in icterum erumpunt à febrili excandescentià non parum remittere, indicio vtrinquè manifesto, salinam bilis partem non omninò deficere, sed pinguem, & viscidam prepollere.

Ex dictis hactenùs deducere debemus, quomodò vini generosi, aùt aquæ vitæ excedens potatio icteritiam non raró progignat, non quidèm duntaxàt, quià bilis excessus indè producatur, id enìm ad icteri productionem non sufficere iàm satis demonstratum, sed quià à vini spiritu salinæ partes, tùm sanguinis, tùm succi neruei nimiùm volatiles factæ extremam patiuntur resolutionem, queis tandèm oleosæ depauperatæ ad icterum disponuntur.

Quid de viperæ veneno, aùt alterius generis icteritiam producente sanciemus? An fortasè cum Helmontio existimabimus ab illo sanguinem omnem corrumpi, & in bilem transmutari? At puerilis vi-

M de-

detur ineptia; tot in sanguine partes heterogeneas contrariæ indolis, & naturæ in vnam bilem posse conuerti; si enìm orta testantur sua principia, vt rectè docet Aristoteles, non partem sanguinis aqueam, non terream, sed pinguem tantummodò bilis orta testari poterit. An Siluij amplectemur sententiam asserentis, à volatili viperæ veneno bilem nimiùm volatilizari, & fundi in icteritiam? At enimuerò icteri systema non in bilis volatilizatione, sed in glutinositate fundari iàm suprà demonstrauimus; prætetquamquòd à viperæ veneno coagulum fluidis, non fusionem induci, prætèr communiorem sententiam indicant somnolentia, extremorum refrigerationes, anhelosa respiratio, & alia huiusmodi symptomata; probabiliùs ergò mihi videtur, ab illius veneni torpore bilem incrassatam à reliquo sanguine præcipitari, àc disiungi, vel quià venenum illud salinam bilis acrimoniam, & vim fermentatiuam obtundens, solam bili lentescentiam relinquat; vel quià succi neruei eiusdem vi stagnantes ad sanguifera vasa, & cystim felleam, non, vt moris est, transcolentur prò necessariâ fluiditate, & aliquali volatilizatione bili conciliandâ.

Hæc in re tam obscurâ satis mihi, licèt vobis non satis dixisse arbitror, veniam interim petens, si humili nimis apparatu regium morbum pertractauerim.

DE

DE SANGVINIS SPVTO.

TAbulam perbellè depictam meis iamdudùm obtutibus obiecit Amici litterati Museum, Mundi nempè globum quatuor hinc, indè stipatum Philosophantibus, quorum alter erat Democritus Hominum ineptias perpetuò ridens, alter Heraclytus humanas ærumnas nunqnam lugerè desinens, tertius indifferens Zeno, Mortalium curas, nèc boni, nèc mali nomine dignatus, postremus numerum implebat Salomon Rex auream proferens sententiam: *Omnia tempus habent*. Iàm verò si percontaremini, vter illorum sapientior sit æstimandus, vos equidèm responsuros, nullo discrepante, confido, Auditores humanissimi, omnium sapientissimum Salomonem extitisse: Quod enìm spectat ad Democriti risum, aùt lacrymas Heraclyti, rectè cum Senecà sentiendum videtur, quod *Alienis malis torqueri æterna miseria est, alienis delectari malis voluptas inhumana*, falsa Zenonis indifferentia ab eiusdem Discipulo Dionisio Philosopho satìs, supèrque fuit redarguta, qui, nephriticis obsessus doloribus, plenà voce clamabat, veram minimè esse Magistri Zenonis doctrinam: Vnum ergò Salomonem sapientem fatebimur, qui non vni obtemperans Sensui, & risui, & lacrymis, & indifferentiæ sua tempora distribuit.

Consimilem profectò tabulam liceat nobis etiàm effingere, Auditores, in quà medicus Orbis quatuor Medicorum sectis circumdatus appareat: Primæ Vexillifer Erasistratus purgantibus sæpè, phlebotomià nunquàm ægrotos aggreditur, altera alterius Antagonista, tanquam Democrito Heraclytus, apùd Recentiores, tùm Bononiæ, tùm Florentiæ non paucos inualuit, solà, & frequenti sanguinis missione, nunquàm verò purgantibus vtentes, Tertia, (& proh Deus quàm numerosa!) Zenonis æmulata indifferentiam, omnibus, & singulis morbis omnia, & singula medicamenta promiscuè, indiscriminatìm, atquè ordine sempèr eodem recitant potiùs, quàm disponat; Quarta demùm Salomonis pedissequa, & sola romanis digna Professoribus, iuxtà varias morborum vicissitudines, & Ægrotantium naturas, purgationes, & phlebotomias, modò vtramque, modò alterutram, modò neutram, omnia tempus habere docet, omnia cum tempore disponit. Omnia tempus habent in praxi medicà, nèc, vt ille Nucis cortice Homeri clausit Iliadem, morborum chronologias vno phormaco absoluemus. Iactent credulis Mulierculis suas Hermetici Panaceas, suum Alchaest liquorem Helmontius; nèc enìm hactenùs cordato vlli Viro suaserunt Phthisim, Hydropem, Apoplexiam, Hecticam, Coleram, aliasque sexcentum contrariæ indolis ægritudines, vnà, eâ-

dem-

demque methodo pertractare; sed quid ego opposita morborum systemata numerare satago, quandò vnus, & idem morbus contraria sæpè exigit medicaminum genera? Ecquis amabò vestrùm non aliquandò in praxi fuit expertus Colicos dolores, modò aromaticis, modò gelidæ potu fuisse curandos? Obstructiones, & menstruorum deficientias modò Rhabarbaro, & salibus, modò lacte, & balneis conualuisse? Ventriculi debelitatem, & coctiones, sæpè vini generosi haustu, non rarò frigidis aquis restitutas? Catarrhales defluxiones interdùm lacte, interdùm exsiccantibus decoctis, febres refrigerantibus, & humectantibus, non rarò tamèn Theriacà, piperatis, peruuiano cortice, & vino meraco, & alia huiusmodi, quorum numero dies anteà, quàm exempla deficerent. Intèr hæc innumera vnum, fortè non adeò vulgatum. addere liceat, præsentis thema dissertationis, nempè de sanguinis sputo, cuius curationem omnes omninò Authores duplici potissimùm cardine stabiliunt, sanguinis copiam minuere, & eiusdem tenuitatem incrassare; illi frequentes phlebotomias, huic lactis omnigeni vsum, hordeata, orizam, Tartarucas, Papauera, & cætera huiusmodi exhibere solent; Hanc tamèn vniuersalem curandi methodum suspectæ fidei iamdiù mih reddere cœpit exploratus à me pluriès hæmophtoicorum sanguis tãtæ crassitiei, àc lentescentiæ, vt vix

à di-

à digitis abſtergi poſſet; adauxit mirumimmodùm ſuſpicionem complicata cuiuſdam ægritudo, quam vobis deſcribere opportunum cenſeo.

Monacus quidam Reu. quadragenario maior, Aſthmate, àc tuſſi laborans, craſſum, àc viſcidum catarrhum expectorabat; Dextera pars tota penè paralyſi erat affecta, ità vt brachium, fœmur, & crus motus difficultate continuà, torpore etiàm, interdùm laboraret, præſertìm, cum frigido aeri exponeretur, à quo noxam perpetuò, ſicùt à calidis fomentis, àc linteis leuamen ſentiebat; His omnibus (quod mirum) frequens ſanguinis per tuſſim reiectio tàm violenta accedebat, vt ad tres, & quatuor libras non ſemèl pertingeret.

Enarrata morborum complicatio, ſi ad veterum mentem philoſophari velimus, difficultate, inextricabili theoriam, & praxim illaqueabit; Si enìm Aſthma, viſcidum catarrhum, & paralyſim attendamus, cuncta hæc ſanguinis incraſſationem, & præpotentia coagula redolere, vnicuique compertum. Quomodò ergò, tali ſanguinis vigente ſyſtemate, frequentes illæ, & copioſæ hæmorrhagiæ ſuperueniunt, ſi hæ magnam eiuſdem fuſionem arguunt, àc tenuitatem? Ecquid in praxi decernendum? Incraſſabimus nè, more conſueto, vt ſanguinem compeſcamus, àn potiùs attenuabimus, vt Aſthma, & paralyſim ſoluamus? Profectò contrarias in ſangui-

ne

ne constitutiones effingere non possumus; Cum itaquè viscidus ille catarrhus Asthma, & Tussim progignens, ab arterijs in bronchia deponatur, consimilem in sanguine crassitiem firmare necesse est; Quomodò autèm sanguis talitèr incrassatus tanto impetu, àc frequentià in hæmorrhagias luxuriet, rationibus primùm suadere conabimur, experimentis postmodùm confirmare.

Suppono itaquè primo loco id, quod omnibus puto innegabile, sanguinis ærarium vberius Animantibus concedi, quàm prò illorum nutritione fuisset opus, ità exigente perenni spirituum elaboratione, & eorundem resolutione, quæ resolutio, si fortè, aùt sanguinis, aùt porositatum vitio impediatur, nèc alia sensibilis euacuatio suppleat transpirationis defectum, ineuitabilis, àc celerrima in vasis turgentia resultabit; hinc hyeme præsertìm frigidà, poris constipatis, frequentes sanguinis expuitiones, aùt aliundè per anastomosim effusiones contingunt.

Suppono secundò, id; quod per angustias pororum transpiramus, esse partem sanguinis, & aliorum humorum iàm volatilizatam; hinc æstiuo tempore, aùt motibus violentis, sanguine efferuescente, àc plurimum volatilizato, plurima etiàm corporis fit transpiratio.

Suppono tertiò, quod paritèr euidentissimum, flui-

fluidum omne, quò maiorem habet partium crassitiem, & consistentiam, eò maiorem vim elasticam; seù expansiuam recipere, Cera enìm, aùt seuum, quæ vix Ollæ dimidium occupabant, iam ad ignem liquescentia, ac torà vasis diametro impletà, vsquè ad effusionem extuberant; quòd, si pari mensurà, immò etiàm duplà, eòdem tempore vas Aquæ ad ignem ponatur, expeditè celeritèr suà maiori expansione, iàm ferè tota consumitur, antequàm Ceræ pondus, aùt quantitas minuatur.

Ex his ità præsuppositis clarissimè deducendum videtur, sanguinem crassum, & viscidum faciliùs, àc frequentiùs in hæmorrhagias disponi, quàm sanguinem tenuem, ob faciliorem iiusdem turgentiam, quæ venarum anastomosim, aùt rixim facere apta est; facilior autèm turgentia duplicitèr ex dictis colligitur; Primò, quià sanguis crassior, ex defectu volatilizationis minùs transpirat; vndè superfluus acervatur in vasis.

Secundò, quià maiori pollens elatere ad quamlibet nimiam incalescentiam, venarum diametro coerceri nequiens, tanquàm mustum in Dolio efferuens, aùt in osculis anastomosim facit, aùt in tunicis rupturam; hinc mutuà quadam causalitate, quemadmodùm à sanguinis crassitie quantitas excedens resultat; ità ab eiusdem excessu, cum non sit expansioni locus, & reassumptioni facilitas magìs, magìsq incrassari cogitur. Ra.

Rationibus ; vt experimenta subnectamus, primum, erit, quòd in me ipso sum expertus anno ætatis vigesimo sexto: Cum enìm per aliquot menses tussi, àc sanguinis sputo laborauerim, mirabar paroxismum repetere quotiescumquè, vel ob errata in victu, vel ob noctes insomnes cruditatibus scatebam; causà autèm erat, non quidèm sanguinis attenuatio, sed incrassatio; ob coctionis enìm defectum, diminutà transpiratione, sangninem in vasis tùm crassum, tùm plurimum aceruari necessè erat.

Alterum fuit experimentum in supranarrati Monaci multiplici ægritudine; illi enìm pluribus, àc præcipuis Medicis consulentibus; decocta attenuantia ex radice Cannarum, & Sãtalo, nèc non Terebinthus diù fuerunt exhibita, quo tempore ab Asthmate, àc tussi mirè fuit subleuatus, & sanguinis sputum iàm ferè anno excurso non ampliùs apparuit.

Consimili methodo incedens tertium habui experimentum in fraterculo Nouitio sancti Dominici, copioso, àc frequenti sanguinis sputo, per tussim laborante. Huius enìm habitum carnosum potiùs, quàm gracilem obseruans, & ob vitam sedentariam, cachexiam potiùs, quàm maciem in vultu præseferentem, quotidianis exercitijs, victu, àc medicamentis attenuantibus fœlicitèr pertractaui.

Quæret aliquis, & obijciet; ità nè ergò antiquam hæmorrhagias curandi methodum per incrassantia

relegabimus? Itanè Præceptores omnes per tot sæcula decepti nos deceperunt? Respondeo, cum supra laudato Salomone: *Omnia tempus habent*. Vtriusque methodi; & per incrassantia, & per attenuantia tempus, & locus erit in praxi, si ratione, & experimento, duobus Medicinæ cruribus, incedamus, nèue more Pecudum, authoritatum funibus ad lanienam trahamur. Hoc opus, hic labor erit solertis Medici distinguere, quandò alterutris sit vtendum, quam sanè distinctionem, nè rogo vos tædeat, mecum aliquantispèr inquirere.

Quadruplex à Galeno Hemorrhagiæ modus describitur, Anastomosis, Diapedesis, Diæresis, & Rixis, quæ sonant venarum aperitionem, exsudationem, corrosionem, & rupturam.

De Rupturà, si fiat ab extrinseco, nempè vulnere, aùt conatu, sermo nobis non erit, eò quòd vitium sit in continente, non in contento; si verò fiat ab intrinseco, erit profectò à sanguinis turgentià, vndè coincidet cum Anastomosi, de quà infrà.

Corrosio indicat salium in sanguine redundantiam, atquè acrimoniam; quarè curatio per incrassantia optimi erit consilij, ad illorum aculeos obtundendos, & inuaginandos.

Exsudatio propria videtur esse sanguinis nimiùm tenuis, àc serosi, vndè huic paritèr incrassantibus est occurrendum, quæ fibras in sanguine regenerent

rent, & debitam consistentiam restituant. Cauere tamèn opus est, nè hic etiàm decipiamur; Sæpè enìm à sanguine nimis crasso, quem venæ reassumere non possunt, facto impetu, àc distensione; serosa, àc tenuior eiusdem portio per tunicas transcolatur, quod frequentèr contingere obseruamus in venis hæmorrhoidalibus; Distinguemus autèm crassitiem, à partis affectæ intumescentiâ, inflammatione, aùt dolore tensiuo.

Anastomosis tandèm, seù venarum aperitio, subtiliorem requirere indaginem mihi videtur tùm in theoricà, tùm in praxi; Primò enìm hallucinatos fuisse veteres fatendum est in eâ, quam supponunt, venarum aperitione, cùm certo certius anathomè constet venarum extremitates non denudari, àc desinere in internas cauitatum superficies, sed membranis, tùm proprijs, tùm communibus obuolutas incedere, quæ nisi disrumpantur, nullus ad extrà sanguini aditus patere poterit; quinimmò, si per impossibile venarum oscula aperirentur, non tamèn ab ijsdem, contrà sanguinis fluentam, àc valuularum arginem effluere posset, ex quo duplex emanat documentum, alterum nempè, sanguinem non nisi per laterales rupturas erumpere, alterum, copiosas, & contumaces hemorrogias, quæ anastomosis nomen falsò vsurparunt, non à venis, sed ab arteriolis similitèr disruptis perpetuò prouenire,

nire : ſoli quidèm menſtruorum eruptioni anaſtomoſis concedenda, vtpotè quæ naturæ ordine deſignata, per tubulorum, intèr arterias, venaſque interiectionem, & aperitionem celebratur.

Quo ad praxim verò, vel curatio ad cauſam dirigenda eſt, vel ad præſentem paroxiſmum; ſi ad cauſam, cum hæc ſupponat ſanguinis turgentiam, hanc à ſanguine craſſo, faciliùs, quàm à tenui pendere, vtpotè maioris elateris capaci, iàm ſuperiùs abundè probatum; quarè, diminutà priùs turgentià per repetitas phlebotomias, ad attenuantia, àc diaphoretica medicamenta audactèr progrediendum; ſi verò ad paroxiſmum dirigimus, certè hic à ſanguine craſſo quidèm, ſed in actu expanſionis, & effervescentiæ conſtituto excitatur, cui propterea medicamenta attenuantia noxia tùnc temporis cenſeri debent, vehementiorem elaterem prouocando, niſi larga ſanguinis euacuatio præceſſerit.

Nèc prætereundum exiſtimo diuturnis interdùm Hæmorrhagijs ſanguinem ab initio craſſum inuapidum, àc ſeroſum degenerare, qui tamèn, licèt turgentiam ampliùs facere non valeat, relaxatis tamèn à frequenti exitu àc penè fiſtuloſis redditis vaſorum rupturis, ad leuem quamlibet impulſionem effunditur; hìnc ille idem ſanguis, qui in primà eruptione attenuantibus erat pertractandus, iàm, variato ſyſtemate, incraſſantia deſiderat.

Tan-

Tandèm pro coronide, & expositi thematis roboratione reticere non possum perniciosissimum apùd quamplurimos Medicos abusum hæmophtoicos mittendi ad aerem maritimum, Galeni, crediderim, authoritate, & exemplo deceptos, qui phthisicos Neapolim mittere consueuit; Quantùm autèm ab illius magni viri præceptis aberrent, clarissima est demonstratio; Primò enim Galenus non ad aerem quemcumque maritimum, sed ad Tabias mittebat, Monticulum intèr Neapolim, & Surrientum, cuius aer tenuis, & exsiccans ob vesuuij Montis sulphureas exhalationes, Pulmonum vlceribus non parùm conferebat, vt ipse Galenus describit 5. methodi cap, 12. At boni isti Medici, cum non omnibus Neapolim petere sit commodum, Neptunum, Ostiam, Centumcellas, loca crassi, & pessimi aeris, substituunt, ad celeriorem ibì miseris ægrotis comparandum interitum: Horum vnus Neptunum relegatus *Proh Deus!* (scribebat Consanguineis) *Hùc me ad Tussim curandam Medici compulerunt, vbi Incolas penè omnes me magìs tussiculosos inuenio.* nouit etiàm Forestus hanc veritatem, qui Galeni motus exemplo etiam in verà phthisi aerem montanum consuluit ijs verbis [a]. *Siccitas eniminuat hunc morbum, montana propterea laudantur, econtrà paludes, àc plana damnantur.*

Secundò, Quod magìs ad rem nostram, quem Ga-

[a] Obseru. 53. libri 16.

Galenus aerem Phthisicis imperabat; perperàm isti ad Hæmophtoicos extendunt quibus; præsertìm in principio, non aerem calidum sulphureum, aùt salsuginosum, sed frigidum, àc tenuem competere ad Pulmonum phlogosim temperandam, & sanguinis crassitiem attenuandam prætèr expositas rationes certissima sunt experimenta. Laborans olìm ego tussi, àc sanguinis sputo, cum febre lentà, & emaciatione, Leonissæ frigidissimum, àc subtilissimum aerem petere decreui, Medicis quamplurimis, reluctantibus, qui certum interitum in morbo pectoris ab illo aere minitabantur; totà ibi æstate permansi, sed non totà opus habui ad conualescendum; Vix enìm frigidum illum aerem respiraui, àc sanguis nunquàm ampliùs apparuit; post mensem autèm integræ sanitati restitutus paruæ Pilæ, & venationis exercitijs alacris operam dabam: eodem in loco duo consimilia exempla reperij, Presbiterum nempè, & alium coniugarum, qui ambo ab Vrbe in Patriam redeuntes Hæmophtòici, & emaciati; non medicamentis, àc diætà, sed compotationibus, & crapulæ indulgentes, solo aeris beneficio carnosi, & pingues euaserunt. Hisce motus experimentis fratrem meum eodem morbo laborantem, quem anteà Medici Neptunum, absquè vllà vtilitate damnauerant, Segninæ Vrbis aeri subtilissimo tradidi, vbi per Annum Gubernator moratus, &

à san-

à ſanguinis ſputo penitùs abſtinuit, & in reliquis mirumimmodùm fuit refectus. Plura adhùc huiuſmodi exempla referre poſſem, ſed hìc non omnia tempus habent.

DE SVDORE, ET VICTV SVDANTIVM.

PEnelope Vliſſis Vxor, & Vliſſis æmulata verſutiem, vt ſuos eluderet Amatores, telam, quam diù texebat, noctù deſtruere ſatagebat; àt equidèm vereor Auditores humaniſſimi, nè pulcherrimum ſagacitatis exemplar apùd Mulierem, turpis inertiæ culpa apùd nos Medicos euaſerit; dùm enìm eidem iuſculo, vel apozemati herbas acidas, & amaras promiſcuè, vt moris eſt, incoquimus, dùm eidem febri malignæ alexipharmaca modò acida, modò alchalíca, modò fundentia, modò coagulantia eâdem die propinamus, dùm interdùm in doloribus purgantia narcoticis permixta ex aliquorum placito exhibemus, quid aliùd ſanè facimus, quàm Penelopes telam texere, ac deſtruere? horum numero, ni fallor; adſcribenda mihi videtur ea victus ratio, quæ ſudantibus in hipocauſto communi praxi preſcribi ſolet, quæquæ ſudorem retardare potiùs quàm promouere apta cenſenda eſt, quod vt veſtro ſubijciam examini, operæpretium primò erit expendere, quomodò ſudores fieri contingat, ſe-

fecundò qualis humor hac viâ foleat excerni, ex quo tandèm qualis diæta fudaturis ægrotantibus fit opportunior, humida nè, àn ficca, meliori methodo decernemus.

Porrò fudoris generationem perbellè defcripfit Hippocrates libro de flatibus tali pacto. *Quandò autèm congregatus fuerit cumulatìm plurimus fanguis calefit rurfus ipfe aer, qui anteà fanguinem infrigidauit, nimirum à calore multo victus, accenfufquè, àc velutì igneus factus per omne corpus calorem fpargit cooperante ei in hoc etiàm ipfo fanguine, liquefit ergò quidquid ignea vis illa attigerit fitq. indè fpiritus, qui,cum ad meatus corporis irruerit fudores fiunt, fiquidèm fpiritus compactus in aquam transfmutatur, & per meatus penetrans, cùm prorumpit eodem planè modò, quo à feruentibus aquis vapor eleuatus fi obftaculum habeat, ad quod impingere, opportet pinguefit, àc condenfatur, guttæquè deftillant ab his corporibus, quibus vapor ipfe fuit impactus.* Hactenùs Hippocrates,ad cuius mentem colligere eft, ad fudorem efficiendum duò neceffariò prærequiri, fanguinis nempè,aliorumue humorum incalefcentiam,liquationem, & in vapores rarefactionem, quod nemini coutrouerfum, & eorundem vaporum in ambitu corporis à compreffione denfationem, quàm fanè compreffionem, àc denfationem idem Hippocrates luculento roborauit exemplo lib.de Aere

Ac

Aqu. & loc. *Eius rei*, (inquit ibi) *maximum signum indè sumere licèt, vbi homo vestibus indutus in sole iter fecerit, aùt sederit, quascunque enim corporis partes sol aspicit, hæ non exsudant, sol enim quidquid comparet sudoris sursùm rapit, quæ verò sub veste contectæ sunt, aùt sub aliquà alià re, hæ exsudant, educitur enim, àc domatur à sole sudor, seruatur autèm à tegumentis vt nè disperdatur à sole, cùm verò in vmbram deuenerit, totum corpus similitèr sudore perfluit, non enim ampliùs sol affulget.*

Fateor tamèn, hanc Hipp. doctrinam aliquà limitatione purgatam esse admittendam quoad illam humorum rarefactionem vsquè ad vaporem, docuit enim accuratior Anatome cutem glandulis milliaribus dictis vndequaquè refertam per illas sudorem transmittere, glandulas autèm quascunquè vase tùm deferente, tùm excretorio donatas esse; quarè tantam humoris attenuationem libentèr cõcedimus, quanta per minimas illas glãdulas cribrari sit apta, vapor autèm non fiet, per vasa fluentibus humoribns antè eruptionem à glandulis, sed potiùs post eruptionem, quo sanè modo insensibilem transpirationem contingere credibile est.

Quomodocũq. sit, illud ex dictis cõsequẽs elicitur necessariũ, humores calidos faciliùs ad sudorẽ dispo. ni quàm frigidos, vtpotè qui de sui naturà magìs volatiles, tùm ab intrinseco tùm ab extrinseco citiùs inca-

O le-

lescere, & attenuari valeant; hinc idem Hipp. lib. de arte. *Natura* (inquit) *stimulata, & impulsa artis peritis, quæ facienda sunt demonstrat*; & paulò infrà, *quin, & sudores ducens, & excludens humorum calidorum exhalationem perficit*. Si igitùr huiusmodi Naturæ documentum quotidiè in febribus obseruamus, ex quibus tertianæ, & biliosæ frequentèr sudore soluuntur, secùs verò quotidianæ dictæ, àç pituitosæ, quid non artis peritus magistram, Naturam imitabitur sudores artificiales in morbis calidis prouocando?

Dices arduum, àc periculosum videtur esse calorem calori superaddere, & morbo calido laborantem, qui alioquìn refrigerantibus esset pertractandus, igni, & hipocausto damnare, àt enìmuerò, nèc sinè labore Natura molitur crises, nèc sinè incomodo Ars exhibet medicamenta; prætereà longè maiorem esse sanguinis, & corporis refrigerationem post calidorum exhalationem, quàm eiusdem temporaneam, per ignem, incalescentiam, prætèr magistram experientiam, ad quam incredulos remitto, nostri etiàm Hipp. testimonio fulcitur: pulchram is non minùs, quàm veram habet doctrinam lib. de vet. medic. nimirùm, quod quantò aliquis refrigeratur, eò deindè fortius incalescit & econtrà quò magìs incalescit, eò maiorem deindè refrigerationem experitur; sed placeat ipsum audire Præceptorem, *Itaquè si*

si quis sanus hyeme corpus perfrigerare velit, aùt frigidæ lotione, aùt alio quopiam modo, quantò id ampliùs fecerit, si modò non omninò corpus congeletur; aùt vestimenta acceperit, & sub tegmen venerit magis, & ampliùs corpore calescit; Rursùs, si quis fortitèr calefieri velit, aùt calido lauacro, aùt multo igne, indè verò eandem vestem habens in eodem loco conuersari, in quo perfrigeratus multò apparebit frigidior, & longè horridior, quàm aliquis, qui præ æstu ventilationem admisit, & sibi ipsi frigus præparauit atquè sic ex hoc modo recreatus est, nàm, qui hoc facit decuplò maiorem æstum, ac ardorem percipit, quàm is, qui nihil tale facit; verùm sunt adhùc testimonia multò maiora: quicunque per niuem, aùt aliud frigus iter facientes excellentèr frigescunt, aùt pedibus, aùt manibus, aùt capite, vbi se continuerint in noctem, quùm cooperti fuerint, & in tepore extiterint ab æstu, & pruritu vexantur, quibusdam etiàm bullæ velùt ambustis ab igne exsurgunt, nequè priùs hoc patiuntur, quàm calefiant, adeò promptè vtrunquè ipsorum ad alterum accedit: possem & alia innumera recensere; cæterùm circà egrotos, non nè quibus rigor contingit his acutissima febris relucet? sed non adeò fortitèr, verùm paruo tempore quiescens, & aliàs ferè innoxia, & quo tempore adfuerit, per calida, & per totum corpus penetrans, desinens maximè in pedes, vbi sanè rigor, & frigus validissi-

mum diutissimè durauit. Rursùs, cum sudor prodierit, & febris decesserit multò magis frigescit æger, quàm si, nè apprehendisset quidèm ab initio.

Notetur quæso hæc vltima dictio, nobis ad rem omninò collimans; nèc enìm in morbis calidis vllo modo expauescemus incalescentiam extrinsecùs ab igne; vel hipocausto, si hac sudorem prouocantes, calidorum exhalatione refrigerationem promouebimus, quemadmodùm febricitantibus maior, post sudorem accedit refrigeratio, quàm antè febrilem paroxismum extitisset.

Intellecto sudoris modo, & humoris excernendi conditione, iàm ad tertiam dissertationis partem, tanquàm ad syllogismi conclusionem descendimus quærentes, quænam victus ratio sudaturis sit imperanda; & sanè non aliam, quàm humidam competere necessariâ illatione videtur concludendum.

Primò enìm, si ad sudorem prouocandum humores, eorumquè sales volatilizandos, & in vaporosos spiritus rarefaciendos esse, cum Hippocrate velimus talem dissolutionem humido quidèm adiuuari, sicco retardari docent hermetica principia, confirmant spagiricæ operationes in destillationibus, àc decoctis.

Secundò, cum ex eiusdem Hippocratis testimonio humores per sudorem excernendi non solum suapte naturâ sint calidi, sed artè etiàm incalescentes,

vi-

viſcerum æſtuantium indemnitati conſulemus victus humiditate, non autèm ſiccitate, quæ lima caloris dicitur Ariſtoteli, hanc nimiam exſiccationem metuentes Medici quamplurimi ſtuphas humidas idcircò introduxerunt,balneo nimirùm calido, vel cucurbitis aquà repletis.

Tertiò,cum diuturno ſtupharum incolatu, continuàque exſudatione continua paritèr vitalium ſpirituum fiat diſſipatio, ijs vtiquè opus habemus alimentis, quæ celerrimam eorumdem reſtaurationem iuuare valeant, quam ſanè humidis tantùm facilem eſſe, iuſculis nempè pulmentis liquìdis, & ouis ſorbilibus, nemo ſanæ mentis controuertet.

Quartò, *corpora vbi quis purgare voluerit fluida facere oportet*. notum eſt Hippocratis oraculum; ſi ergò humores per ſeceſſum euacuandi, qui ampliſſimos inueniũt canales, cholidocum, pancreaticum, inteſtina, fluuidi tamèn fieri neceſſe habent, quantò magìs eadem fluiditas humoribus ijs erit neceſſaria, qui per anguſtos, àc penè inſenſiles pororum meatus ſunt educendi? ecquæ fluiditas, bone Deus, pane biſcocto, vuis ſiccis, & carnibus aſſatis poterit comparari?

Quintò *quandò æſtas fit veri ſimilis ſudores in febribus multos expectare opportet*. Aphor.6. ſect. 3. claro vtiquè argumento, ad ſudoris effuſionem, ſicùt aeris verni, ità & reliquæ diætę humiditatem conferre.

Se-

Sextò experimentum in praxi vnicuique obuium afferri poterit, si enìm ægrotantibus ad sudorem prouocandum lapidem bezaar, cornu cerui, vel aliud simile diaphoreticum in formâ siccâ exhibemus, absquè subsequenti potione iusculi, Aquæ Cardui, vel ptysanæ, frustrà sudorem expectabimus, contrà verò si potionum illarum alterutram, immò simplicem sed copiosum aquæ potum in statu febris propinemus absquè vllo bezoartico sudor emanabit.

Vltimò in huius veritatis cōfirmationem dubium quoddam expendere non erit incongruum, cur nimirùm febres ardentes dictæ græcis Causones sudore, perindè, àc tertianæ terminari non soleant cum tamèn ab eàdem bile fieri censeantur; huius rationem reddere studuit Gal. 2. de crisibus cap. 3. ijs verbis. *Atquè in hoc hæ ipsæ à tertianis differunt, quamuis eundem qui eas facit humorem habeant, quià in his quidèm intrà venas continetur, in illis verò, cùm vehementèr moueatur, per singulas corporis partes disseminatur, quò fit, vt delationis impetu per se ipsam expurgetur; eadem causa est, cùr febris ex sudoribus, atquè vomitibus finiatur; in adurentibus autèm febribus singulæ accessiones ad infebricitationem non perueniunt, quoniàm, qui earum causa est humor non expurgatur.*

At enìm verò hac responsione iocari mihi videtur Galenus, difficultatem non soluendo, sed aliò trans-

transferendo; adhùc enim ab eo scire cupimus, cur bilis febrium ardentium non, vt illa tertianarum vehementèr moueatur, atquè expurgetur, quandò potiùs rationi consonum videretur, vt quæ magis efferuescit maiori etiàm impetu deferatur.

Rationem genuinam, vt inueniamus, supponere primò debemus id, quod nemini controuersum, humores quoscunque à sanguinis gremio eliminandos debere priùs ab illius compage, & arctiori vinculo disiungi, atquè extricari, hanc autèm disiunctionem faciliorem ijs contingere, qui maiorem habent fluiditatem, & partium laxitudinem; iàm verò, quòd bilis tertianarum sit fluida, tenuis, & ad motum prompta, ex illius quæ vomitur colore pallido, & lubricà consistentià vnicuiquè compertum; quòd autèm illa febrium adurentium sit crassa, vèl crassis alijs humoribus irretita, prætèr id, quòd ab expurgationis defectu nobis insinuatur, accedit huiusmodi febricitantium in phlebotomià sanguinis exploratio, in quo sanè crassam admodum, duram, & fungosam cruditatem perpetuò obseruaui; hinc linguæ ariditas, & sitis inextinguibilis; non ob exsiccationem à febrili calore, quæ sanè nèc in marasmo consumptis tanta somniari potest, sed ob lympharum coagulum, & stagnationem, hinc magna illa, & homotona efferuescentia, ob bilem extrà cruoris vasa non expurgatam, vt innuit Galenus,

ac

àc tanquàm ſepulchralis lucernæ mixturam, prohibito halitu perpetuò exardentem. Nobilis mulier obſtructionibus, àc ſtomaci debilitatibus iamdiù laborans, quatuor ferè ab hinc annis diuturnas quindecim noctium paſſa vigilias, ob moleſtiſſimam zézalarum inundationem, incidit in febrem ardentem cum delirio, menſtruorum ſuppreſſione & vterinis etiam phantaſmatibus; miſſo, àc repetito copioſo ſanguine ex vtroque malleolo citiſſimè decidit ab acutie, àc tandèm conualuit: ſanguis ille in aquam adhùc intensè calidam effluens, mirùm dictù! totus illicò ad inſtàr placentæ, vel gelatinæ concreuit, itaùt ab ipſo Phlebotomo plenis manibùs ex aquà fuerit extractus. concludendum igitùr ex dictis, ad humores per ſudorem fundendos, aùt quocunquè extrà cruoris vaſa effundendos vaporoſam illam Hipp. rarefactionem à ſolo calore, quantumlibèt magno fieri non poſſe, niſi etiàm fluida humiditas, & laxatiua concurrat, quæ propterea hipocauſto damnatis, victu humido concilianda, non ſicco præpedienda.

Inſtabit nonnullus. Eſto, quod morbis, & humoribus calidis ſudatoria ſint opportuna, àn propterea negabimus frigidis etiàm frequentèr prodeſſe? queis ſaltèm ſicca victus ratio vtilior quàm humida cenſenda erit. Reſpondeo, frigidos etiàm morbos per ſudorem curari poſſe non controuer-

tam

tam, nèc ipse negauit Hippocrates, qui de victus rat. in morb. acut. sect. 4. *Morbi*, inquit, *omnes soluuntur, aùt per os, aùt per aluum, aùt per vesicam verùm sudoris species omnibus communis est*, frigidos autèm humores humido victu magìs, quàm calidos indigere, vt ad sudorem disponantur, facilis mihi videtur demonstratio, si dictorum epilogum faciamus: sudor fit per humorum rarefactionem, hæc autèm à victu humido maximè adiuuatur, ergò eiusmodi victus illis maximè competit humoribus, qui ob partium crassitiem difficiliùs rarefiunt; tales esse frigidos humores ostendunt febres quotidianæ, quæ longæ sunt durationis, & nunquàm per sudorem soluuntur, confirmat Hippocratis doctrina primò de morbis, vbi legitur: *Quarè verò quandoquè calidus quandoquè frigidus sudor est, ità contingit, calidus quidèm de percalefacto malo, & exusto, & attenuato, & debili, & nòn valdè multo secernitur, & necessè est ipsum calidiorem è corpore excerni, frigidus autèm de ampliore malo secernitur, & de eo, quod illi quando est, & adhùc validum, & non dùm putrefactum, nequè attenuatum, nequè exustum, & frigidior àc crassior, & graueolentior prodit.*

Tandèm rationibus experimenta subnectere operis erit perfectio nè altero tantùm crure incedens Medicina claudicet, Galeno docente; Mulier habi-

tus gracilis, & extenuati, languidæ, àc delicatæ complexionis gallicis articulorum doloribus vehementer affligebatur, gummosas in capite, pectore, & brachijs excrescentias plurimas, easque conspicuas gestans; ad illius ego curationem vocatus sudatoria in eius domo dispofui, illius tamèn debilitatem expauescens, àc de tolerantià diffidens iusculum salsæ ad morem septalij manè, antè sudationem exhibebam, ad prandium, & cænam oua recentia sorbilia, pulmenta ex iure caponis, & carnem illius elixam, fructus etiàm coctos, & potum ad satietatem exhibebam; eràt autèm abstemia; hac methodo viginti quatuor diebus copiosissimè sudauit, & non solum ex morbo perfectè conualuit, gummosis humoribus sensìm euanescentibus; sed longè càrnosior, àc pìnguior, post curationem apparuit.

Alterum mihi suppeditauit experimentum clarissimus meus Collega Antonius Placenti in curatione R. P. Ottolini Soc. Iesu, cui semiparalisi laboranti in brachijs, & cruribus, cum ex plurimorum Medicorum consulto sudatotia cùm victu exsiccante fuissent imperata, ipse tamèn cœteris reluctantibus humidum victum exhibuit, fercula etiàm ex cicoreo, boragine, & similibus præparando, licèt ægrotans essèt habitu corporis humido, & pingui; optimè tamèn sanitati fuit restitutus, quà postmodùm historià, tùm morbi, tùm curationis Floren-

tiam

tiam tranſmiſſà, Medicùs illam perlegens reſpondit, ſe neſcire quomodò cum tali victus ratione potuerit conualeſcere; potuit tamèn.

Alia non deficerent exempla, ſed quià vos æſtu ſudantes aduerto, nolo vos ampliùs contrà meam ſententiam ſiccà mensà torquere.

DE HYDROPE.

Hydropis, tùm Aſcitis, tùm Anaſarcæ naturam frigidiſſimam languidæ hematoſis vtramque ſobolem ſtatuere communi ferè Medicorum placito viſum eſt, quam equidèm doctrinam, etſi quandoquè veram eſſe non controuertam, alio tamèn ſyſtemate non raró philoſophándum eſſe argumenta non pauca ſuadere poſſunt.

Primò enìm obſeruare eſt, quod intèr præcipuas hydropis cauſas numeratur ab Authoribus rerum calidiorum abuſus, vt Aromatum, & vini meracioris, præſertìm verò de Aquauitæ teſtatur Fredericus Deckers [a], & nupèr ego in quodam viro obſeruaui, qui poſtquàm Aquæuitæ potu per tres continuos menſes quotidiè fuerit abuſus, pulmonis hydrope deceſſit, morbis itèm calidis, puta febribus ardentibus; frequentèr hydrops ſuccedit, quo ſpectat illud Hippocratis, ſecundo prognoſt. *Hydrops*

P 2

[a] Annot. ad prtſ. Barbet.

drops morbo acuto superueniens malus: adde si libet vrinas intensè rubras, & sitim inextinguibilem huic morbo familiares, quibus omnibus moti Trallianus, Auicennas, Cardanus, & Platerus hydropis causam atquè intemperiem calidam esse statuerunt.

Secundò sanguis hydropicorum serò interdùm destitutus apparet ipso etiàm Sennerto fatente,

Tertiò proptèr rigorosam à potu abstinentiam in hydropem nonnullos incidisse, non semèl fuit obseruatum.

In hac itaquè causarum, àc symptomatum discrepantià hydropem ab hydrope distinguere, & diuersam naturam scrutari operæpretium existimo, nè a scopis curatiuis longè interdùm aberrantes, monitum confirmemus Hyppocratis, quod morborum similitudines bonis etiàm Medicis imponunt.

Primò igitùr genericam quandam diuisionem præmittere liceat, aduertendo, quòd Hydrops alius fit, ex vitio vasorum, & viscerum, alius ex culpà sanguinis, & aliorum fluidorum; ex vitio vasorum, vt cùm vasa lymphatica, vel chilosa, internà, aùt externà aliquà violentià disrupta, aùt rarefacta serositates retinere fiunt inepta, quod infra clarius explicabimus; ex culpà verò fluidorum, cùm hæc aùt valdè serosa venarum porositates permeant, aùt valdè flatuosa, & elastica, vasa tendunt, strangulant, àc disrumpunt, quomodò tympanites perpetuò ferè in Asci-

Ascitem degenerat, aùt nimis acria, & mordacia vasa eadem corrodunt, & exulcerant, quo modo phtysis in empiema, vel thoracis hydropem facessit. Verùm quidèm est, quod vasorum, & fluidorum vitium ità intèr sese disponuntur, vt alteri præcedenti alterum necessariò subsequatur, si quandò enìm vasorum ruptura, vel obstructio præcesserit, èn sanguis debità lymphà spoliatus crassitiei, àc stagnationis vitium contrahit, nèc à sàlibus vrinosis, aquà deficiente, repurgatus salsedine, & calore luxuriat; fluidorum verò præcedens vitium vasis, àc visceribus obstructiones, distensiones, & corrosiones inducit, immediatas, & euidentiores aliquorum hydropum causas.

Aduertendum secundò, quòd tres potissimùm excessus hydopem facere consueuerunt, excedens nimirùm potus, præsertìm aquæ, aùt substantiæ aquosæ, excedens hemorragià, & excedens sanguinis abundantia, qui quidèm excessus quomodò hydopem pariant examinabimus. Nimius quidèm potus facilem habet intelligentiam, si enìm vrinæ quantitas non illi respondeat, aùt alterius generis euacuatio, èn, vasis per turgentiam distentis, àc rarefactis, aquosa illuuies earum permeat porositates, immò etiàm tunicas disrumpit, & ventris alicuius ascitem constituit. Excedens hemorragià sanguinem non modò paucum; sed spiritibus effœtum, &

vap-

vappeſcentem relinquit, eà proptèr chiloſa ſubſtantia iugitèr in venas ingrediens in nouum ſanguinem perfici nequit, torpente cordis, aliorumque viſcerum motu, proptèr animalium ſpirituum penuriam, tùm etiàm deficiente, intèr vetus, àc nouum fluidum neceſſarià proportione, quæ propterea ſemicruda, craſſa, àc tardo circulo in ſpatia carnium impulſa ædematoſam illam intumeſcentiam, quæ Anaſarca dicitur, vbiquè relinquunt, viſcus etiàm aliquod, aùt vas obſtruendo remoram ibidèm, àc diſtenſionem cauſant, vndè feri tranſcolatio, & Aſcites. Sanguinis demùm redundantia anaſarcam inducit, vt Harpalidæ ſorori 7. Epid, cui *circà quartum menſem, aùt quintum prægnanti totum corpus in tumorem eleuatum eſt, vt leuco phlegmaticis*, quòd citrà etiàm grauidationem, ex ſuppreſſo menſtruorum, aùt hemorroidum effluxu ſæpiſſimè contingit: Nèc ſolàm Anaſarcam, ſed Aſcitem etiàm ex retento ſanguine fieri poſſe non dubito; anaſarcam quidèm, quatenùs ſanguis vaſorum anguſtijs coercitus per motum, tùm localem, tùm fermentatiuum rarefieri, & attenuari non poteſt, aſcitem verò, quatenùs à ſummà craſſitie, & elatere, vaſorum tunicæ, vt diximus extenſæ ſeroſæ parti filtrandæ poroſitates aperiunt: euidens huius rei experimentum legere eſt apùd Louierium, qui ligata canis viui venà cauà ſuprà daphragma, & aperto, pòſt mortem abdomine,
in-

ingentem aquæ copiam in eo deprehendit, quòd idem diuerso modo expertus est Villius, ligatis nempè venis iugularibus, vniuersum caput exteriori parte mirumimmodùm intumescere vidit, vt solet in hydrocephalo.

Dictis innixus experimentis vltraiectanus quidam Doctor a hydropis generationem referendam existimat ad sanguinis partium disgregationem; à cuiùs partibus crassioribus obstructiones solitum humorum cursum interrumpentes oriantur, vndè serum poros transgredi cogatur, quòd sanè non incongruè dictum mihi videtur; dummodò turgentiam necessariò concurrere aùt prærequiri supponamus, tunicæ enìm vasorum, nisi violentèr distendantur, quantumlibèt sanguinis partes sint disgregatæ, & serosum, & fibrosum æquè benè retinere sunt aptæ tùnc solummodò per poròs aditum sero cócedentes, cùm sanguis, aut copià, aùt vinculo, aùt crassitie, aùt elatere flatuoso alicubì turget, & obstruit; ità enìm siuè turgentia disgregationem, siuè disgregatio turgentiam pariat, huius perpetuò concursus est obseruandus.

Ex premissis hactenùs consequens procùl dubio deducitur, hydropem æquè causari à sanguine nimis seroso, & à nimis crasso; à seroso quidèm Ascitem, à crasso, & Ascitem, & Anasarcam promiscuè:

àt

a Zod.med gall. Anno 1. epist. 6.

ât quoniàm, & à calido, & à frigido densationem fieri posse docuit Aristoteles in definitione frigoris, & caloris, confirmat experientia, quæramus modò, àn sanguis ab alterutro, àn ab vtroque crassitiem comparare sit aptus.

Porrò sanguinis massam duabus constare partibus quantitatiuis, fibrosà nempè, & serosà vnicuique compertum, serosæ autèm officium est necessariam fluiditatem fibrosæ conciliare, qua deficiente animantium vitam in præceps ruere dicto citiùs est opus; si itaquè, vel frigidi ambientis iniurià, vt in sanguine extrauasato, vel spirituum, & exaltationis defectu, vt in sanguine crudo, & viscido, chilosæ, àc fibrosæ partes à serosis præcipitentur, àc seiūgantur èn sanguinis à frigido condensatio resultat nemini controuersa.

At enimuerò à calido etiàm sanguinem incrassari posse, non dubitabit, qui serosam illius partem ad ignem positam crassescere, àc durescere obseruauerit, eo modo propemodùm, quò oui albumen durescit, aùt lac incaseum, & illius serum in Recoctam; ea tamèn est discrepantia intèr concretionem à frigido, & eam, quæ fit à calido, quòd in illà fit separatio serosæ partis à fibrosà, per præcipitationem, vt diximus, in hàc verò fit vtriusque permixtio, àc densatio, vt in ouo, in quo, & rubrum, & album ab igne induratur, resolutà tantummodò paruulà aquæ portione, quæ igne durescere non est apta. Confir-

firmatur præciſo Roberti Boyle experimenro. *Si enim*, inqnit, *albumini oui agitatione etiàm in aquam reducto certam quantitatem ſpiritus vini benè dephlegmati addideris, non modò viſcoſitatem liquoris non deſtruet, ſed magnam illius partem coagnlabit.*

His ità ſe habentibus, mirari ampliùs non contingit; aquæ vitæ, & aromatum frequentià hydropem ex concretione cauſari poſſe; quod enìm ignis extrà corpus, hoc idem res igneæ intrà corpus proportionalitèr operantur, abſquè eo quod recurramus ad illam acidi fermenti deſtructionem, quam fieri à ſpiritus vini volatilitate, & oleoſitate putauit Fredericus de Ckers, pinguia enìm & oleoſa alimenta, vt etiàm amara, acidum illud fermentum vſquè ad nauſeam extinguunt, nèc eorum abuſu hydropem vnquàm accidiſſe vllus obſeruauit.

Obijcies; Aquàuitæ, & meraco immoderato, ſæpè magnas hemorragias prouocari, funditur ergò illis cruor, non incraſſatur. reſpondere primò poſſem, hemorragias frequentiùs à ſanguine craſſo, quàm à tenui pendere, vt ſuperiùs agens de hemophtiſi luculentèr probaui, reuerà tamèn exiſtimo aquam vitæ hemorragias cauſare ſanguinem fundendo, non incraſſando, nec ex eo credideris vno experimento alterum deſtrui; quemadmodùm enìm ſaccarum, mel, caſeus recens, & ſimilia ad

Q ignem

ignem posita primò funduntur, & liquefiunt, deindè in viscidam substantiam tenaciùs agglutinantur, ità aquauitæ ceteræque res calidissimæ sanguinem primò fundunt in hæmorragias; postmodùm verò perniciosiùs condensant.

Ad hydropes huiusmodi calidos haùd equidèm puto, reducendos paritèr esse illos, qui febribus ardentibus, & acutis non raro succedunt, quod, vt probè explicemus, inquirere hìc oportet, qualis hydrops & quomodò febribus illis superueniat. Hippocrates igitur secundo prognostic. a plures hydropis species includere videtur ijs verbis *Hydropes, qui ex acutis morbis fiunt, omnes mali*: præsertim verò ad tympanitem sermonem dirigere, per dictionem sequentem insinuatur, *Non enim febrem sedant, & dolorifici sunt valdè*. solus enim Timpanites spasmodicà tensione dolorem causat; hunc autèm ijs tantummodò acutis morbis succedere arbitror, vbi plurima bilis à suo sale lixiuiata reperiatur, quemadmodùm in Icteritià, vndè crassescens maiori turget elatere, hinc Icterus in acutis non rarus, hinc ab ictero ad tympanitem facilis transitus.

Anasarcam febribus ardentibus potissimùm superuenire crediderim, eo, quòd illas ab humoribus crassis, non autèm tenuibus fieri, de sudore agens iàm satis demonstrauerim; adde, quòd per largas phle-

a Sect. 4.

phlebotomias, & victum tenuissimum magnus spirituum fit exhaustus, vndè sanguis motu fermentatiuo, & locali deficiens lentescit, àc refrigeratur.

Tandèm, de Ascite nulla videtur esse difficultas, facilis enìm, & à Timpanite, & ab Anasarcà in Ascitem est transitus, vt superiùs innuimus: accedit etiàm non raró largus aquæ frigidæ potus in febre ardente fieri solitus, quæ postmodùm, nèc per vrinam, nèc per aliùd euacuationis genus fuerit restituta, cuius exemplum videre est in Obseruationibus [a] Riuerij.

Quoad sitim, & vrinam rubram hydropicis familiares, reuerà æquiuoca sunt signa morbis, tùm calidis, tùm frigidis communia, quòd optimè admonuit Auicennas ijs verbis [b]. *Non oportet, vt decipiatur aliquis per id, quod fortè fit de siti, & rubedine aquæ, vt existimet, quod ægritudo fit calida namquè id est commune omnibus*. Sitis enìm in hydrope fit, eo, quòd lymphæ penuria fit in glandulis faucium, & vasorum saliuarium, tùm quià in cauitates perenni stillicidio transcolatur, vt in Ascite, tùm etiàm quià crassescens àc sanguini inuoluta in dictis glandulis cribari non ampliùs est apta, vt in Anasarcà: Rubra verò vrina salium crassorum redundantiam significat, vel ex prauæ chilificationis culpà, in qua sales fæculenti non ritè cum

a Cent. 3. obseru. 23. b Fœn. 16. lib. 3 tract. 3. cap. 11.

fæcibus expurgati in cruoris gremium vnà cum chilo asportantur, vel quià, sero in vasis sanguiferis deficiente, nèc satis per vrinam expurgantur, nèc satis in paucà vrinà diluuntur; nouit hoc etiâm Galenus [a], qui signa quotidianæ febris recensens vrinas illis, vel albas, & tenues, vel crassas, àc turbolentas, vel rubras describit; addit Dodoneus, vrinas rubras mingi non rarò, iecinore, àc ventriculo, per diuturnos morbos, cum refrigeratione debilitatis, refertque historiam Viri quinquagenarij à quartanà in lienteriam delapsi, cum vrinis intensè rubris, quem vino generoso, Diagalange, àc Diatrionpipereon sanauit, vrinà colorem remittente.

Quod sanguis sero destitutus appareat, fortassè non videbitur alicui certum concretionis argumentum; eo quòd etiàm in Ascite, vbi serum in abdomen extrauasatur, sanguis illo depauperetur; àt enimuerò, si nullam omninò seri segregationem in sanguine videmus, arduum est credere quòd ex totali eius transcolatione id fieri possit, tùnc enim, nèc sanguis ampliùs circulare, nèc egrotans vitam diutiùs prorogare valeret; verosimilius ergò censendum, huiusmodi sanguinem, non sero penitùs carere, sed crassum, & viscidum in sese includere, quod sanè quandiù intrà vasa circulatur, & conquassatur, aliqualem, & sibi, & sanguini fluiditatem

a P. ad Glauc.

tem conseruat, motu autèm cessante, in gelatinam velutì conuersum, àc sanguinis fibris irretitum, ab eodem, nèc seiungitur, nèc distìnguitur.

Tandèm rigorosam a potu abstinentiam non alio modò ad hydropem disponere, ex dictis colligitur, quàm seri penuriam causando, quo deficiente, tùm sanguinem, tùm chilum crassescere, & obstructiones parere necesse est, vndè hydrops, modo superiùs explicato resultat.

En quomodò varium genus causarum vnius, & eiusdem morbi essentiam variando, variam etiàm curationem exposcere opus est, quam propterea singillatìm inquirere non erit ociosum, cum apùd practicos Authores genericè, vt plurimùm, & confusà methodo describi soleat, medicamenta numerando potiùs, quàm distribuendo; & quoniàm à tribus suprà memoratis excessibus, ijsue analogis discrasijs omne propemodùm hydropis genus originem desumit, seorsim ab vnoquoque curatiuos scopos eliciemus.

Potus excessus Ascitem facit, qui, cum diuturnùs est etiàm Anasarcam, crassescente sanguine, ob seri penuriam: purgantia huic hydragoga, modò fortiora, modò per epicrasim conueniunt itèm diuretica omnis generis, calida, frigida, acida, alchalica, & præcæteris à potu abstinentia, maximè in principio, quibus non iuuantibus ad paracentesim auda-

daćtèr est veniendum, quidquid in contrarium sentiant Authores practici nonnulli, qui illam reformidantes proponunt simùl, & excludunt; opus est autèm, vt in principio, vel augumento morbi celebretur, quòd monuit etiàm Hippocrates, alioquin sera nimis operatio, & ægroto iàm tabescente peracta sæpè Artificem, & remedium infamauit; cur autèm, post tardam paracentesim citissima sequatur mors, haùd equidèm id fieri puto, quià Aegrotus iàm debilis magnam ex eà spirituum iacturam tolerare non possit, vt communis est opinio; quid enìm tale spirituum dispendium causabit? àn fortè dolor ex acus, punćturà? at hæc nèc lanceolæ sanguinem à venà extrahenti est quidèm æquiparanda; àn potiùs fluidum, quòd extrahitur? àt hoc non sanguis viuificans, sed aqua mortua est, & inutilis, immò noxia; vndè autèm procedat ex serà incisione pernicies, duplex mihi videtur occasio, quarum neutra in celeri locum habet. prima est, quòd aquam mouendo diuturnà stagnatione corruptam, vt in Macrocosmo Aer, ità in Microcosmo spiritus, & sanguis inficiuntur, vndè febres illicò excandescunt, & cum rigore corripiunt; altera, eaquè potissima, quod lymphaticis plerunquè disruptis, tandiù aqua diffunditur, quandiù capax est abdominis cauitas, qua tandèm omnimodè plenà, àc distensà, cessat effusio, & vitam aliquantispèr adhùc proro-

gat

gat infœlix ægrotus; factâ autèm paracentesi, & loco in vacuum redeunte, vasa illa, quæ per longam membranarum distensionem facta veluti varicosa ampliùs consolidari nequiuerunt, statìm illud lymphæ residuum, quòd in sanguine erat, in reducem cauitatem excolantia aridum omninò cruorem, & circulo ineptum relinquunt, quod sanè periculum in principio fœlicitèr euitare spes est; puto enìm vasis lymphaticis illud idem, quòd sanguiferis contingere; si quandò enìm hæc à sanguine redundante anastomosim, aùt rupturam patiuntur, sola sanguinis effusio vulnus, & auxilium ferre solet, venæque per illam exinanitæ floccescunt, àc cicatrizantur, quòd faciliùs etiàm succedet, si non à lymphaticis ruptis, sed à venarum porositatibus rarefactis limpha transcolauerit.

Excedens hemorragia Anasarcam primò, deindè etiàm Ascitem facere apta est; eius curatio in ijs tantummodò consistit, quæ vappescentem sanguinem restaurare, & crassum, per nouos spiritus volatilizare vim habeant; primum fit alimentis optimam æquè, àc facilem nutritionem præbentibus, vt iusculis consumptis Caponum, Perdicum, & Columbarum, & etiàm lacte, secundum medicamentis benignè attenuantibus, & volatilium partium, vt Chinâ, santalis, cannarum radicibus, carne viperinâ, elixire proprietatis, & cocolatâ hispanicâ, ca-

uen-

uendum tamèn ab acribus, aromaticis, àc nimiùm spirituosis, vt spiritu Cornucerui, salis armoniaci, fuliginis, & huiusmodi, quæ sanguinem violentèr fundendo, nouam hemorragiam causare possent: purgantia hìc locum non habent, nèc paritèr diuretica.

Sanguinis redundantia Anasarcam paritèr, & indè Ascitem inducit, huius curatio in largà phlebotomià, præsertìm in principio consistit, nullà præcedente purgantium aùt diaphoreticorum exhibitione, quæ sanguinem intempestiuè agitando, àc tumefaciendo, venarum porositates distensas celeriùs ad ascitem disponerent; plurimo autèm extracto sanguine, & vasis exinanitis, si morbus adhùc non cedat, ad benigna purgantia, àc diuretica, calidioribus omissis, immò etiàm ad sudores prouocandos vltimo loco transeundum; a potu autèm non omninò abstinendum, nè sanguini maior inducatur crassities.

Quæ a crudo, & viscido chilo sanguinem illaqueante fit Anasarca, purgationem primò loco requirit, non per hydragoga, sed per lenitiuas potiones additis rhabarbari, & agarici infusionibus, deindè diuretica alcalia, & amara, non autèm acida, itèm volatilia cuncta, quæ in hydrope ab hemorragià fuerunt proposita, etiàm aromatica, & spirituosa quæ illic exclusimus: Victus non, vt ib inutritiuus,

sed

ſed valdè tenuis, & attenuans.

Qui febresacutas, & ardentes ſequitur Hydrops, ſi ſit Aſcites ex nimiopotu, iàm ſuprà deſcriptam habes curationem, ſi ſit Anaſarca, non diſſimilem exigit curationem alteri in hemorragià deſcriptæ, vtpotè quòd vtraque ſpirituum exhauſtum, & cruoris vappeſcentiam præſeferens, ſi verò Tympanites, monitos primò velim curantes Medicos, nè ſcilicèt acribus, calidis, & ſiccis diſcutientibus vtantur; quæ paſſim ab Authoribus practicis, immò ab ipſo Hippocrate ª proponuntur, neque conſuetis illis emplaſtris, ex fimo vaccino, columbino &c. cum ſulphure viuo, vtpotè quibus neruorum elaterem extremè adaugeri, ratio me & experimenta ſuaſerint, non enim in abdominis cauo contenta flatuoſitas tympanitem conſtituit, ſed ſpaſmodica neruorum, àc membranarum intumeſcentia cauum diſtendit & ampliat, vndè fluida adiacentia in elatarem expanduntur, & vacuum adimplent: eius verò curationem à ſolis refrigerantibus, humectantibus, atquè acidis ſperandam eſſe, teſtimonium habemus apùd Chriſtophorum à Vega, qui tympanitem curauit iecori ſuperponens ſuccum endiniæ, & cicorei, cum pauco aceto, & cicoreum edendum præbens, atquè endiuiam; apùd Varignanam, qui refert Vetulam coxiſſe in ollà ſuccum plantaginis ad medietatem, &

R de-

ª De vict. rat. in morb. acut. ſec. 4.

dedisse hydropico de causà calidà ad bibendum quotidiè, & sic curatus fuit, apùd Auicennam, historiam Mulieris hydropicæ narrantem, quæ comedit quantitatem malorum granatorum tàm maximam, vt eius relatio sit incredibilis, vt ipse loquitur, & sanata est, licèt autèm vocet eam asciticam, non dubito illam fuisse Ascitis speciem, quæ Tympaniti superuenire solet, vt suprà diximus. Quo ad potum, non modò ab eò abstinere non debet, immò potiùs largiùs bibere confert, dummodò potus sit acidus ex succo limonum, aùt syrupo acetoso, vel aperiens ex decoctione radicum temperatarum, graminis, cicorei, sonchi &c. celebrem huius rei controuersiam legere est apùd Baptistam [a] Montanum in curatione Religiosi cuiusdam Ordinis prædicatorij, laborabat is Ascite, cum Timpanite, & tabe, cum febre hecticà, quapropter apparentibus; tùm exsiccandi, tùm humectandi indicationibus, maxima intèr Medicos irrepserat discordia: suadebat Montanus, vt multum biberet, sed quæ aperirent; syrupum acetosum cum diureticis, repugnabat Eugubinus, qui potus omnimodam abstinentiam, & exsiccantia proponebat; approbante demùm Papiense Montani consilium, eiusdem curatione conualuit Egrotans. Vide consimilia exempla in obseruationibus Riuerij [b], vbi Ascite simul, àc Timpanite post febrem con-

a Consil. 263. b Cent. 1. obseru. 20. Cent. 2. obseru. 83.

continuam laborantes, apozematibus purgantibus, & deobstruentibus, spiritu Tartari, àc vitrioli, syrupo limonum tincturà corallorum; àc balneis refrigerantibus curatos adinuenies; quinimmò balnea, aùt embrocationes actualitèr frigidas efficaciùs fortè prodesse, non leuem mihi suspicionem inducit mulieris casus quinto epidem; quæ à pharmaco in opportunè sumpto, cum tormina intumescentias, àc spirandi difficultatem pateretur *superfusæ illi super corpus sunt aquæ frigidæ amphoræ circitèr triginta, & sanè videbatur hoc solum prodesse, & posteà deorsùm exijt bilis copiosa.* Modus autèm, quo frigida profuit, non alius vtiquè extitit, quàm fluidi neruei vitiosum elaterem compescendo, nerueasque fibrillas elastico, & extraneo spiritu admodùm tensas, àc dilatatas compescendo: hac eàdem ratione Hippocrates [a] idem in Tetano largam aquæ frigidæ perfusionem consuluit, approbante Galeno, & [b] Vallesco de Tarantà, qui duos Tetano laborantes, hoc modo curauit.

Postremò, quæ a vini spiritu, alijsque vehementèr calidis fit Anasarca omnium sànè curatu difficillima mihi videtur; concretiones enìm, quæ ab igne fiunt, non facilem habent regressum, in substantijs præsertìm viscidis, & argillosis, vt lacte, ouo, cretà &c. vndè fortasse motus Hippocrates hydro-

R 2 pem

[a] 5. Aphor. 21. & 3. de morbis [b] In Comment. lib. 1. cap. 21.

pem quæ sub carne fieri aggreditur, ineuitabilem pronunciauit, contrà communem Practicorum doctrinam, qui solam frigidam Anasarcam agnoscentes eam præ ceteris curatu faciliorem asseruerunt: quià tamèn, quæ concrescunt à calore, ab humido liquari docuit Aristoteles, non aliò, quàm in potionibus refrigerantibus spes est reponenda. Purgantia nullius generis locum habent, si cassiam, aùt similia tantùm exceperis; ab acidis, vtpotè coaguli vim habentibus omninò abstinendum censeo, nèc in cœteris diureticis valdè sperandum, quæ frigidam Anasarcam fundere quidèm valent non autèm calidam; probarem herbarum refrigerantium, & aperientium succos incoctos, aquas nucerinas cum syrupo violaceo, & sale prunellæ, & vltimò etiàm lac asininum, à solidis cibis abstinendo, & largè etiam bibendo, dummodò vrina respondeat.

Hæc in tàm versatili morbo dicta sint satis pro illis Medicis refellendis; qui vera principia negligentes, vbi morbos a se malè curatos mortem ægrotantibus inferre prospexerint, praxim à theoricà longè diuersam, proh Pudor! asserere non erubescunt.

An

a 2. Meteor, cad. 4.

An Parentum imaginatio ad fœtus generationem concurrat Problema.

AEquiuoca, ni fallor, eſt interrogatio, àc talitèr diſtinguenda, ſi nimirùm pro concurrere intelligere velis, quòd ad fœtus generationem ſit neceſſaria, negatiuè reſpondetur; puto enìm, quòd ſi dormientis viri ſemen in dormientis mulieris vterum reciperetur, nullo intellectu cogitante, conceptio, & generatio haberi poſſet; ſi verò, pro concurrere intelligas, quòd Parentum imaginatio fœtus generationem diuerſimodè alterare, vel immutare ſit efficax adeò plana res eſſe atquè innegabilis mihi videtur, vt mirari potiùs contingat omniloquum Ariſtotelem, qui tertio de generatione animal: fœtuum ſimilitudinis, & monſtrorum cauſas ſedulò perſcrutatur, nè vilibi quidèm Phantaſiæ mentionem facere; ſolummodò 10. Problem. XII. quærens, cur proles aliorum animantium magìs ſint ſimiles ſuis Parentibus, quàm hominum, dubitantèr reſpondet; An id fortè ſit proptèr varietatem imaginationis, quam habent homines in congreſſu, magìs, quàm alia Animalia: quòd ſi Authores nonnulli non contemnendi, vt Io: Coſtæus, Vayrus, & Thomas Eraſtus, nullam in fœtu immutando Phantaſiæ vim tribuant; ſed potiùs fortuitis hu-

humorum concursibus, contrà hos infinitas propemodùm Authoritates obijcerè possumus, Theologicas, Medicas, Historicas, quarum libet aliquas tantummodò insigniores decerpere. nè pagina in uolumen excrescat.

Et à sacris paginis, vt par est, exordium ducentes, legimus 30. Genesis, Patriarcam Iacobum, vt Oues diuersicolores nascerentur, Virgas virides populeas, & amigdalinas decorticasse, easquè colore ità variegatas aquarum canalibus distribuisse, ad quos mane oues potatum venturæ erant, vt eà diuersorum colorum imaginatione intèr se congredientes fœtus indè producerent variegatos.

Hippocrates lib. de superfœtat.; *si qua* (inquit) *mulier terram edere concupiscat, aùt Carbones, eademque edat in capite pueri eiùs signa à talibus apparebunt.*

Galenus lib. de Theriacà ad Pisonem cap. 16. *Ex vetere*, inquit, *quadam historià accepi, cum deformis quidam Vir, sed fortunatus formosum procreare filium vellet, puellum formosum in Tabulà pingendum curauisse, atquè vxori iussisse, vt, cum rebus venereis vteretur in illam picturam intueretur; illa verò defixis oculis tabulam is aspiciens, &, vt ità dicam totam illuc mentem cogitationemquè dirigens, puerulum non Patri, sed picto puero similem peperit.*

Mu-

Mulieres statuas quasdam adamasse testatur Plutarcus, & Proles, quas ex alijs conceperant illis similes euasisse.

Heliodorus Antiquissimus Historicus Caricleæ historiam enarrat, quæ alba ex Ethiopibus parentibus nata erat, eo quòd Regina mater eius picturam Andromadæ albà facie depictæ intuita sempèr fuisset. Nèc dissimilis apùd Rodhiginum historia perlegitur, qua Fabium Quintilianum mulierem quandam à suspicione adulterij liberasse scribit, quæ nigram prolem pepererat, eo quòd in Cubiculo, Ethiopis pictura pependisset.

Sed ignoro equidèm, an risu magìs, àn terrore digna sit Historia à Ludouico Viues in commentario Diui Augustini de Ciuitate Dei memoriæ prodita. In Brabantià Vir quidam, qui Demonem publicis ludis exhibuerat domum reuersus ijsdem adhùc scenicis vestibus indutus cnm vxore rem habuit Diabulum se progignere velle inquiens; Mulier autèm deterrita fœtum Diabolicà præditum figurà concepit, àc peperit. Sed dies anteà quàm exempla deficient, si cuncta Authorum exempla narrare sit animus, vt proindè frequentissima huiusmodi imaginationis miracula Cõmuni cuidam Adagio ansam præbuerint, Filium ex Adulterà excusare Matrem à culpà, quo significatur filios ex adulterà natos plerumquè magìs similes esse Marito Adulte-

ræ

ræ, quàm verò genitori, eo quòd Mater assiduò de Marito cogitans, metuens, ne ab eo deprehendatur, vultui prolis adulterinæ, coniugis formidati imprimat imaginem.

Satis ergò firmatà imaginationis in fœtum actiuitate, inquirendum vlteriùs videtur, àn sola Matris imaginatio, àn verò etiàm Patris imprimere valeat. Profectò, si talis Phantasiæ, vis sanguini ad fœtus nutritionem descendenti imprimeretur, vt falso aliquibùs visum, nulla Patris imaginationi actiuitas esset tribuenda, àt enìm verò fœtus conformatio, non ad sanguinis nutritionem, sed ad virtutem pertinet seminalem, semini autèm horà coitus intumescenti, per nerueos spiritus, & succos phantasticæ species communicantur, vt proindè non Matris tantummodò, sed, & Patris semini alterationes hasce contingere rationi sit consonum; hinc optimè consuluisse videtur Hesiodus Poeta, ne quis à funere rediens liberis operam det, nè rei tristis imaginatio transeat in prolem, eamque permutet.

Confirmatur ex loco genesis supracitato de Ouibus Iacobi; ibi enìm asseritur virgas decorticatas ante oculos Ouium, & Arietum fuisse positas, poterant ergò tàm benè Arietes signare, quàm oues; quàm etiàm Aristotelis fuisse sententiam supracitato Problemate apertis verbis denunciauit; ibi enìm brutales fœtus similiores parentibus quàm humanos oriri

in

in imaginationem refundens. *Prout autèm* (addit) *Pater, materque in eo conceptu affecti fuerint, ità partus euariant.*

Sentio tamèn obijcientem, huiusmodi impressiones non sempèr horà conceptus, sed processu grauidationis sepissimè contingere, scimus enìm violentos quosdam Prægnantium appetitus, etiàm post tres aùt quatuor menses rei appetitæ characteres fœtibus impressisse, quo tempore nullus intèrfuit coitus, nulla seminis intumescentia; non ergò ex virtūte seminis, sed sanguinis nutrientis ad fœtum alteratio perueniet.

Respondeo, non negandum phantasticas alterationes etiàm post conceptionem, immò frequentiores, quàm in ipsà conceptione obseruari, vt hinc ratio sit desumenda, cur frequentiùs à Matre, quàm à Patre accidant impressiones, non solùm enìm quià Mulierum imaginationes, animique passiones, vtpotè ratione minùs coercitæ violentiores esse consueuerunt, sèd quià Patri, non alio, quàm conceptionis tempore signari permissum, Matri verò & in conceptione, & per totum grauidationis decursum. Non ex eo tamèn credideris Matris Phantasiam immediatè in sanguinem agere, sed in spiritus illos animales àc plasticos, quos toto gestationis tempore, & ad vterum confluere, & sanguini nutritio permisceri est verisimile. Quomodò autèm tales

species Anima spiritibus imprimat, siuè potiùs, quomodò ab animà imaginante in rerum diuersarum seminia spiritus transmutentur, nèc ab vllo satis exploratum, nèc me satis intelligere fateor; mirum sanè humanæ naturæ paululùm ab angelicà desciscentis exemplar, cum enìm, ad mentem Theologorum Angeli, non nisi intelligendo operentur, & mechanicas etiàm operationes intelligendo exercere valeant, huiusmodi intellectiuæ actiuitatis vmbraculum in Animà imaginante repositum, mirari, àc fateri cogimur, quæ diuersis cogitationibus, aùt iræ, aùt meroris, aùt metus, aùt amoris diuersos in corpore, & hnmoribus motus mech anicè exercet; quæ nam Animæ cogitanti, cum Pene, àc spermate proportio intercedit? & tamèn ad mulieris aspectum, immò ad mulieris cogitationem, & Penis erectionem, & seminis descensum localit èr promoueri sentit Amasius, vt proindè non sinè ratione moderno Philosopho Libidinis elementa dicantur, flatus, & Imaginatio.

An verò ad tales fœtui characteres imprimendos ingentes animi passiones, aùt desideria necessariò prærequirantur, vt communis, est sententia quotidianis exemplis inauthorata, videtur fortassè in dubium reuocari posse; quænam enìm animi passio Aethiopem Reginam inuadere potuit Andromadæ picturam inspiciendo? quid Oues

la-

Iacob à virgis illis variegatis terroris habuerunt? Mulier, quæ Diui Baptistæ imaginem intuendo filium peperit vndequaquè villosum referente Fieno, non vtiquè illà imagine fuit deterrita. In Scithià Noruegià alijsque niuosis regionibus Vultures, Aquilæ Perdices, Vrsi, & Cerui albi inueniuntur, non alià de causà, teste Scaligero, nisi quòd à niuium aspectu eorum Animalium Phantasiæ albedinis speciebus imbuantur, nèc tamèn vlla intercedit formido. Antuerpiæ honestam Matronam extitisse testatur Fienus [a], quæ & vultum, & externas gesticulationes Simiæ similes habebat, ex eo quod Mater eius prægnans Simià quadam domesticà, non quidèm expauescere, sed valdè delectari, & frequentèr cùm eà ludere consueuerat.

Nostra ergò erit sententia Fœtuum impressiones fieri quidèm non posse, nisi fortis specierum impressio in Phantasià præcedat; hanc autèm fortem specierum impressionem vel fieri de repentè, vel paulatim, ex frequentatis actibus, quod memoriæ etiàm, & intellectui commune est; de repentè quidèm impressiones fient vehementes ab obiecto violenter agente, cuiusmodi sunt, quæ terrore, irà vel amore aggrediuntur; paulatìm verò, àc repetitis actibus, quæ phantasiam, vel delectando depascunt, vel diuturno congressu sensus externos afficiendo eidem, vel nolenti profundiùs in dies defiguntur,

[a] De viribus imagin.

hac ratione domesticis, etiam non consanguineis proles interdùm assimilatur, eò quod assidua contubernij familiaritas, citrà omnem, aùt passionem, aùt delectationem, phantasiam fortitèr, sed paulatìm affecerit.

Quomodò fœtus respirationem exerceat, tùm intrà vterum, tùm in egressu. Problema.

FOetus in vtero existentis sanguinem, non per pulmonis anfractus, sèd per foramen ouale, & per ductum arteriosum, à dextro in sinistrum cordis ventriculum per meare vnicuique compertum) in quo transitu aer sanguini admisceri non potest, deficiente respiratione, suppleri autèm satis illa potest à Pulmonibus Matris, cuius sanguis arteriosus aere iam turgidus transmittitur in Placentam vterinam.

Maior est difficultas in explicando, primò qua necessitate cogatur Infans, statìm, àc in lucem egreditur respirationem inchoare, quæ sanè non à sanguine pulmones vrgente prouenire poterit, cùm adhùc foramina illa sint adaperta, per quæ intrà vterum progrediebatur; secundò in Problematis Harueiani solutione, qua ratione, scilicèt, fœtus secundinis exutus, si semèl aerem hauserit, posteà, nè momen-

mento temporis absque illo durare possit.

Circà primum, rationem reddit Truston satis congruã;,quiá inquit,ob dolores, quos patitur fœtus in egressu vteri materni, stimulatur ad mouendos omnes musculos,nullo ordine seruato, prætèr eum, ad quem doloris stimulus, & imperitia spiritus motiuos dirigit; in qua phanaticà, & vniuersali commotione musculi quoquè Diaphragmatis, & intercostales mouentur, quibus motis, àc contractis, pectoris cauitas necessariò ampliatur, aerque ambiens subingreditur; hìnc nouà, & amplissimà viâ sanguini per pulmones adapertà, cessat vsus foraminis oualis angusti, àc transuersalis, cuius operculum membranosum clauditur ab ipsomet profluuio sanguinis: similitèr in arteriam pulmonariam semèl erumpens, nèc retrorsum redire potest, ob valuulas semilunares, nèc indiget, àut vti potest obliquo diuerticulo Ductus arteriosi, qui paritèr neglectus sensím coalescit, & clauditur.

Haruciani problematis solutionem ingenuè se nescire fatetur Robertus Boyle; Borellius autèm ità soluisse existimat. Fœtus intrà Matris vterum viuit absquè respiratione, quià suppletur à respiratione Matris, vt suprà diximus; cum verò semèl extrà vterum respirare cœperit, iàm ab illà non ampliùs abstinere potest, sinè certà pernicie; quià non ampliùs à Matre sanguis aere refertus suppeditatur, at

enim-

enimuerò Clar: Vir difficultatis robur non benè intellexisse videtur; non enìm quærit Haruecius cur fœtus extrà vterum indigeat respiratione, quæ sanè leuis dubitatio fuisset, scientibus, à materno sanguine respirationem in fœtu suppleri. Problematis sensus est, cur fœtus secundinis exutus, si semèl aerem hauserit, ne momento quidèm temporis absquè illo durare potest, intrà secũdinas verò etiàm extrà matris vterum per plures horas sinè respiratione viuere solet. Huius problematis solutioni placeat aliam difficultatem enodandam præmittere, videlicèt, àn reuerà fœtus intrà vterum à solo sanguine materno aerem recipiat, àn etiam per os aliquam respirationem exerceat: & pro negatiuà sententià primò est, quod impossibile sit aerem ambientem Matris corpus, & tegumenta, quibus fœtus inuoluitur, permeare.

Secundò quod fœtus si respiraret, vocem etiàm, & fletus emittere posset. Tertiò ad quid natura peculiaria, & temporanea vasa fabrefecit, vt sanguis per aliàs vias circulare posset, quando liberum pulmonum habuisset vsum.

Hisce tamèn non obstãtibus, cũ ex Boylianis pateat experimentis, omne propemodùm liquorũ genus interspersis aeriscorpusculis, perindè, àc aqua abundare, non im probabile videtur, grandescentem fœtum, præsertìm, cum superior inuoluentis Amnij pars li-

liquore destituta sit, & halituosà tantùm substantiâ compleatur, obscuram quandam respirationem exercere posse; non enìm fabula est, infantulos in matrum vteris auditos fuisse, vagientes, & nouisse, ait, Boyle Mulierem quandam prægnantem, quæ vagitu infantuli sui plurimùm multotiès fuit terrefacta, tanquàm prodigium esset, immò mulieres tanquam aliquid vsitatum memorare solent pullos audire intrà ouum, nondum rupto putamine, pipizantes,

Hanc tamèn probabilem opinionem ita suis limitibus coercendam existimo, vt non nisi de rarò, àc velutì morbosè, & in magnis conatibus huiusmodi respiratio per os exerceatur. Natùralē autèm, àc legitimā in vtero respirationem per arterias vmbilicales celebrari, recensiores omnes Hippocrati subscribunt, sanguis enim Embrionis per arterias vmbilicales ad placentam siuè caruncula vterinas delatus, non tantùm succum nutritium indè excipit sed vnà cum eodem, particularum nitroaerearum portionem commeatu suo ad fœtum aduenit; adeò vt sanguis Infantuli per circulationem suam in vasis vmbilicalibus factam, eodem modo, àc in vasis pulmonaribus particulis aereis impregnetur; vndè Placenta, non ampliùs hepar; sed potiùs pulmo vterinus, sit nuncupandus.

Nèc alicui negotium facessat sedula Varthonij, & Bailes obseruatio, demonstrare conantium nullam esse

esse communicationem intèr Matris, àc fœtus vasa sanguifera; aiunt enìm Placentam vterinam duabus constare partibus, in quarum alteram fœtui continuam vmbilicalia vasa ramos diffundunt, altera verò quæ vtero adnectitur ab eodem accipit arterias, & venas, ità vt partis vnius vasa nullatenùs cum alià parte communicent, & ità ambæ illæ partes per inosculationem coniunguntur, vt possint sinè vllà sanguinis profusione in viuis etiàm sectis animalibus separari. hæc autèm obseruatio, quàm veram esse fatemur, excludit quidèm materni sanguinis transitum in venas Embrionis, non verò succi chilosi, & nutritij à matris cruore per placētam segregati, vt in mammis etiàm eundem segregari contingit, qui sanè hoc modo seiunctus ab arterijs vmbilicalibus in venas proximas vrgetur, & cum sanguine refluo permixtus in Fœtum introducitur; alioquìn ad quid sanguinis circulus à Fœtu in Placentam extenditur? ad quid eiusdem Placentæ ad Fœtum spectantis maiorem habent venæ diametrum quàm comites arteriæ, si nil aliud præter eorum sanguinem reuehere debebant?

Ex dictis iàm solutum remanet Harueianum problema: fœtus extrà vterum, dummodò adhùc intrà secundinas, aliquo temporis spatio viuere potest; quià nimirùm succus albugineus in Placentà contentus tantà particularum nitroaerearum co-

pià

pià abundat quantâ prô respiratione ; vitàque infantuli aliquantispèr continuandâ sufficit ; cum verò secundinis fuerit exutus; quià non aliundè,quàm ab ambiente, aerem desumere potest , nullo etiàm momento ab inchoatâ respiratione vacare poterit.

In horum confirmationem placeat hìc Boylianum quoddam experimentum narrare. Prægnantem canem cepit ille iàm iàm parituram ; eiusque abdomine adaperto, quatuor in vtero catulós ad inuenit,quorũ vnum exemit,& post quàm à tegumẽtis,queis inuoluebatur, & à liquore, in quo natabat, cum liberasset , obseruauit , quòd repentè plurimùm hiauerit , linguam mouerit, respirationemque exercuerit ; mox illius abdomen, & pectus aperuit, àc Dyaphragma dissecuit,quibus non obstantibus sæpè respirationem tentare videbatur , & intercostales musculos, partem Dyaphragmatis, os & linguam mirumimmodùm commouebat;Cupiens deindè experiri, àn reliqui catuli, qui nondùm omninò respirassent,diù nèc nè alteri superuiuerent, eos etiàm ex vtero exemit,in quibus dissectis tãtum spiritus vitalis non inuenisse ait ,quantus vlli,in corde illorum,motui perceptibili producendo sufficeret, cum tamèn alterius Catuli cor, qui respirationem semel exercuisset , tandiù pulsum continuauit , vt auriculam quinque, vel sex horis posteà pulsare obseruauerit, seruusque,Boyle dormiente, relictus, vt experimen-

eo inuigilaret, testabatur, se vidisse pulsationem illam duabus ampliùs horis continuatas.

Hoc experimento quid deducendum sit, vt noscamus, aduertere debemus, Primum catulum secundinis spoliatum, & ambientis aeris respiratione liberè fruentem, per octo, vel nouem horas vitam protraxisse, alios verò, qui secundinis non erant exuti, deficiente iàm materno sanguine arterioso, à particulis aereis liquoris albuginei tantummodò paruulam illam respirationem prosequebantur, vt pulli intrà ouum materno sanguine non respirantes; quià verò liquor ille, nèc solus, nèc diù satis esse poterat ad vitam substentandam, tandiù hæc perdurauit, quandiù vapor aereus fuit consumptus; quòd si nulla à fœtu exerceatur in eo liquore respiratio, statim mortuâ Matre, eiusque sanguinis influxu deficiente, fœtus etiàm illicò mori cogeretur; cum tamèn in partu Cæsareo fœtus etiàm post horas viui extrahi soleant, àc superuiuentes.

An Aer inspiratus ingrediatur in sanguinem Problema.

DVbietatis occasionem dedisse videntur omnium primi Aristoteles, & Galenus: ille enìm 1. de hist. Anim. cap. 16. & 17. aeris substantiam

tiàm ingredi in Cor, & Arterias, manifestum esse ait; At verò 3. de partib. Anim. cap. 6. id ipsum negat. Nèc magìs sibi constans fuit Galenus, qui contrà Erasistratum disputans nullam nos cogere necessitatem fatetur, vt aeris substantiam ingredi concedamus, cum totus, qui inspirando admissus sit aer foras iterùm remitti possit, & Cor non aeris substantiam, sed solam frigiditatem, exposcere asserit; alijs tamèn in locis aeris substantiam ingredi, & pabulum spiritibus subministrare docet. Harueus, Hyghmorus, alijque celebres Anatomici negant planè aerem sanguini comisceri; Nequè enìm vllam esse aiunt vasorum aeris, & sanguinis communionem, vt ex illis in hæc transire possit; Immò Hyghmorus notabile adfert experimentum, quo aerem ad vasa sanguifera, & Cor non ingredi demonstret: Pulmones, inquit, viuo Animali adhùc calidi eximantur dissecto vtroque vase, Arteriâ scilicèt, & venà, deindè follibus inflentur, & inflatis aspera Arteria arctissimè circumligetur, nè aer inflatus per eandem regredi possit; iàm modò. si aer inclusus per venam pulmonariam expiret, Pulmonesque decidant, tunc aerem in sanguinem, & cor penetrare, necessè est, vt fateamur; secùs verò, si Pulmones non detumescant dijudicabimus; àt Pulmones inflatos per horæ spatium, & ampliùs conseruasse testatur, nèc aer affatìm. aùt sensìm per venæ

illius orificium irruebat.

Hoc tamèn non obstante experimento, communis clariorum Authorum sententia aeris transitum in sanguinem, & Cor constantèr tuetur. Et sanè, quis arteriosum sanguinem contemplans aeris in illo turgentiam controuertet? Quandoquidèm maiorem in illo coloris claritatem, quàm in venoso, aeris miscelam arguere indicio sit sanguis intrà patinam, vèl cyathum collectus, cuius pars superior aeri exposita magìs corusca, quàm inferior, apparet: inuerso postmodùm cyatho, pars inferior obscura, ex aeris contactu fit nitidior.

Confirmatur vlteriùs noto illo experimento, quo sanguis ab arterià vnius Canis in venam alterius transfunditur; Canis enim recipiens, qui anteà ob vulneris dolorem, vincula, & motum, anhelus, & laboriosè respirabat, recepto sanguine arterioso, vix respirare videtur: Manifesto argumento, quòd aer, sanguini arterioso permixtus, respirationis opus, àc necessitatem optimè suppleat, eò modò propemodùm, quo sanguis arteriosus maternus supplet in fœtu respirationis defectum.

Ad rationem in contràrium adductam respondet Malachias Truston, Pulmones in viuorum dissectionibus exemptos etiàmsi calidos, appulsu tamèn frigidi ambientis adeò affici, vt minutæ tunicarum porositates statìm occludantur, quæ tamèn

mèn responsio non satisfacit Alphonso Borello: Esto siquidèm, ait iste, quòd tunicæ vasorum Pulmonis exiguis foraminulis sint perforatæ ad instàr pororum cutis, non indè tamèn euincitur, per eos aerem transire posse: Sicùt enìm aer per fistulam intrà venam aliquam insufflatus per eius porositates extrà non transpirat, ità nequè per easdem intrà permeare poterit; ità videmus, addit, per poros vessicæ suillæ penetrare spiritum vini, non aquam, nequè aerem, & per poros intestinorum, & pellis penetrare oleum, & aquam, non verò aerem; Ex quà experientià idem alibi deduxit, particulas aerem componentes esse ramosas, & ampliores, quàm sint particulæ aquæ.

Est ergò Borelli sententia supponere primò; quòd in quolibet liquore admixtæ sunt innumeræ aeris particulæ, vt patet in experimento Torricelliano, si suprà Hydrargirum innatet aqua; Ex eà namquè, dum supremam tubi pars vacua redditur, ascendunt frequentissimæ bullæ aeris, quæ priùs ob exiguitatem inconspicuæ erant, & deincèps in bullas vastissimas ampliantur ob remotionem incumbentis ponderis Atmosphæræ.

Supponit secundò, quòd quotiescumquè Aer, & Aqua mutuò se tangunt, totiès hæc ab illo, & ille ab hac particulas abradunt. Ità enìm videmus linteum madidum in loco vmbroso extensum etiàm

Hye-

Hyeme exsiccari, vento præsertim spirante, & aquea granula abradente; econtrà aqua conquassata in confinio aeris spumosa redditur ob aereas atomos eidem implicitas; Hinc etiàm aqua stagni, quæ aeri contigua est, dum gelat, longè maiores, àc plures includit bullas aereas, quàm aqua in vase clauso conglaciata,

His positis. Quià in anfractibus, & vessiculis Pulmonum sempèr adest aliquis succus aqueus, & serosus ibidèm instillatus ad lubricitatem ijs conciliandam, talis aquea serositas conquassata à vento aeris inspirati in spumas proculdubio facessit, vndè aqua illa particulis aereis imprægnatur, cumquè eadem aqua per poros venarum facilè exsudare, & penetrare valeat, secum ferat, necesse est, inclusas aeris particulas, easque sanguini admisceat, atquè ità, aer ille, qui solitarius per poros corij, aùt venarum pertransire non poterat, benè permeabit aquæ permixtus, & in minimas particulas subdiuisus, eò modo, propemodùm, quo videmus per poros ligni, & cutis transpirare aeris minimas particulas cum fumis, & sudoribus, at grandiores acerui aeris embolo insufflati per eosdem poros exire non possunt, quià nimirùm ipsæmet ramositates particularum aeris inter se concatenatæ, & contextæ impediunt transitum per pororum angustias.

Hactenùs Borellus, cuius tamèn doctrina, vtùt

vera

vera ſit, non ſoluit difficultatem illatam ab Hyghmori experimento; Pulmones enim adhuc calentes, ac turgidi extracti, cum aqueis illis ſeroſitatibus non deſtituantur, vndè eſt, quòd illarum beneficio aer inſufflatus non permeat ad venam pulmonariam, & Pulmones non detumeſcunt?

Circà hoc experimentum variæ ſunt reſponſiones; Prima eſt ſyluij, contrarium experimentum efficientis; Teſtatur ſiquidèm, ſe facto periculo obſeruaſſe, aerem lentè, diùque in Pulmones adhùc calentes preſſum, tranſire tandèm in arteriam, venamque pulmonariam.

Secunda eſt Truſton aſſerentis tranſitus difficultatem contingere præſertìm, quià follibus aer vehementèr nimiùm inſufflatur; Hoc enìm pacto particulæ aeris fortiùs agitatæ, rapidoque motu percitæ, meatuum laterculis abſquè ingreſſu alliduntur.

Addam ego tertiam, & quartam, & ſanè non contemnendas; altera erit, quià in extractis Pulmonibus, & vno impetu tumefactis deeſt motus ſyſtolis, ac diaſtolis, quo expreſſiones, & cribrationes tùm ſanguinis, tùm aeris adiuuari omnes fatentur; Altera deniquè, & fortaſsè omnium potiſſima, quià, tumefactis Pulmonibus, & ligatâ aſperâ arteriâ, aeris eruptio per anguſta foraminula neceſſariò impeditur, aùt ſaltem retardatur, diceret Peripa.

ripateticus, nè detur vacuum, nos verò potiùs, quià deficit Atmosphæræ compreſſio; Hoc ipſum in dolio pleno quotidiè obſeruamus, è quò per ſpiculum, vinum elicere non poſſumus, niſi priùs foramen ſuperius ſit adapertum; ea tamèn eſt diſcrepantia intèr dolium ligneum, & pulmones membranoſos, quòd lignum nullam recipit ab aere ambiente compreſſionem, aliquam tamèn recipiunt pulmones flaccidi, quemadmodùm & folles, vndè etſi deſupèr ſint obturati, facto tamèn alicubi ſpiraculo paulatim tandèm detumeſcunt, cedit enìm aliquantiſpèr atmoſphæræ comprimenti membranarum reſiſtentia.

An vllum Animal ſinè reſpiratione viuere poſſit. Problema.

ETſi non omnibus Animalibus Pulmones, aliaue organa conſpicua in vſum reſpirationis Natura fabrefecerit, non ex eò tamèn exiſtimetis, quæ prædictis carent inſtrumentis reſpiratioae etiàm atquè aeris vſu carere poſſe; quod nòn modò ità debere eſſe neceſſaria ſpirituum animalium generatio ſuadet, ſed, & Boyliana experimenra manifeſtè conuincunt; Nil autèm refert, àn per Pulmones, àn per corporis poroſitates, àn alio quouis mo-

modo aerem recipiant.

Tria diuersæ speciei insecta, Apem, Muscam, & capillosum vermem, quem vocant ærucam, posuit Boyle intrà minutum recipiens, & licèt vasis capacitas respectu eiusmodi Animalium satis ampla fuisset, extracto per Anthliam aere, non modò muscam, & Apem decidisse, & ventre resupino iacuisse, sed, & vermem ipsum intrà tempus minuto minus sinè vllo motu, aùt alio vitæ indicio prosterni videbantur; Aere autèm ad verticillum vix dùm readmisso, omnia illa insecta aliquod viuendi indicium statìm exhibuerunt; aere tamèn per Anthliam rursùs exhausto, motiones eorum rursùs statim cessarnnt, & mortuis similia, vt priùs deciderunt, nèc se prorsùs mouerunt, quandiù exercitata anthlia vas exhaustum seruauit. Hoc insupèr admirabile in hoc experimento adnotat Boyle, quòd, cum omnibus innotescat, muscas, & apes etiàm capite obtruncato, non modò pedibus incedere, sed etiàm volare diù posse, ad exsuctionem tamèn aeris, non tantùm progressiuus corporis motus, sed, & motiones omnes membrorum, tùm Internæ, tùm externæ omninò cessabant; quasi Animalibus his aeris præsentia magis, quàm propria ipsorum capita, esset necessaria.

Hæc tamèn intèr huiusmodi insecta, & animalia perfectiora intercedit differentia, quòd in illis spi-

ritus ille vitalis non æquali facilitate, atquè in his sit dissipabilis, aùt corruptibilis, Aues enìm, eodem modò in recipiens occlusæ intrà duo minuta absquè vitæ recuperandæ spe reductæ fuerunt, àt insecta illa, fatigato quantumuìs Anthliæ exercitatore, licèt sinè motu perdurarent, cessante tamèn Anthliâ, aer, qui per rimulas imperceptibiles irrepserat, ea ad liberum vitæ exercitium, quamuìs tardè, restituebat.

De Piscibus iàm memorauimus hùc reuocanda experimenta, eos nimirùm in stagnis, vel vitris aquâ repletis subitò mori, si alterum sit vndiquè gelatum, alterum adeò obturatum, vt aeris ingressus prohibeatur. Remanent solummodò expendenda duo alia experimenta de Anguillà, àc de Cochleà testaceâ: Anguilla, eodem immissa recipienti amplo, post aliquas agitationes iàm aliquo modò affici videbatur, cumque aerem obstinato, atquè indefesso conatu Boyle exsuxisset, tandèm resupino ventre se conuertit, vt solent Pisces moribundi; & quanquàm cooperculum fuerit ablatum, in eàdem tamèn positurà immota permansit, vt iàm mortua putànda esset; sed cùm à recipiente fuerit exempta, statìm ad suas redijt motiones, àc pristinam viuacitatem. Mirabilius quidèm contigit in magnà Cochleà, quæ paruulo in recipiente clausa; non modò è lateribus vitri non decidit, ad aeris exsuctionem;

sed

sed per aeris diuturnum recessum nunquàm à suo motu progressiuo fuit impedita, quod nulli alteri Animali contigit, cuncta enìm, illà exceptà, aùt moriebantur, aùt mortuis similia decidebant.

Huius sanè rei non alia causa videtur assignanda, quàm summa Cochleæ, & post illam, Anguillæ glutinositas: viscidus enìm ille humor, & particulis nitro-aereis quàm maximè refertus, tanquàm oui albumen, quod pulli intrà ouum respirationi satisfacit, Cochleæ paritèr satis esse poterit.

Pro coronide alterum problema hìc soluendum proponam, quâ ratione nimirùm aer ad vitam animantium sit adeò, & absolutè necessarius, ad vitam verò vegetantium noxius potiùs obseruetur: vidimus enìm non raró fructus horarios cerà obuolutos, vt ab aere defenderentur itèm vina oleo superinfuso seruari, & triticum in puteis clausis custodiri; scimus etiàm è Græciâ Limones ferri Venetias in capsulis positos, lignorum ramentis, àc serraturà custoditos.

Quæstionem agitauit Cardanus a cur aer alia corrumpat, alia verò seruet, eamque soluere conatus est, asserendo primò, ab aere immoto corruptionem, à moto conseruationem pendere: Secundò ab aere clauso animata corrumpi, Animà carentia conseruari; Inanimata enìm, inquit, ab aere moto exe-

V 2 dun-

a Lib. 2. de subtil.

duntur, animata repurgantur, & refrigerantur, ab aere autèm immoto Inanimata, quæ putredini non subijciuntur, conseruantur ab exsesione Animata vero, quæ putrescere possunt, à clauso, & immoto aere, ideoque putrescente, & ipsa putrescunt.

Confusam hanc, nèc omnibus exemplis adaptabilem doctrinam refellit Scaliger a; Quià tamèn illius obiectiones partim nullius sunt roboris partim verò sunt ad hominem contra Cardanum, eiusque contradictorias sententias, nec ipse post Cardani castigationem propriam exponere sententiam dignatus est, nos, relictis eorum controuersijs, meliori; quo possumus, ordine difficultatem extricare conabimur, fundamentales quasdam propositiones præmittendo.

Prima erit propositio, quòd eadem res, quæ alicui sit salubris, si copiosiùs, aùt diutiùs, quàm par sit, applicetur, eidem noxia euadere potest. Ità alimentis vitam conseruamus, sed eorum excessu vitam obruimus; Aquà Plantæ fouentur eàdem excedente corrumpuntur; Quarè mirùm non erit, si eodem aere, siuè libero. & moto, siuè clauso, & immoto, Animata, vel inanimata interdùm conseruentur, interdùm destruantur, vt infrà demonstrabimus.

Secunda propositio. viuentibus, àc vegetantibus ali-

a Exercit. contra Card.

aliquid vtile esse potest, quandiù sunt in statu vitæ, àc vegetationis; quòd ijsdem non ampliùs vegetantibus, àc iàm demortuis inutile, àc noxium euadat. Ità Plantis, àc fructibus viuentibus Aqua vitam, & vegetationem promouet, quibus demortuis corruptionem accelerat.

Tertia propositio. Improprià, & abusiuà elocutione aerem corrumpi dicimus, purus enìm aer per se solùm nequè corrumpit, nequè corrumpitur, sed effluuia heterogenea, aeri immixta, corruptionem patiuntur, & causant.

His ità suppositis expendere opus est, quà ratione aer vegetantibus sit vtilis, desumptâ ab Animalibus similitudine, & quâ eis obnoxius euadat. Porrò eatenùs aerem Animalibus vtilem probauimus, quatenùs sanguinis fluiditatem, & spirituum elaborationem inducit; & hac paritèr ratione vegetantibns proficuum esse compertum habemus: Quid enìm aliud est vegetatio, quam partium crassarum attenuatio, & spirituum à statu fixationis ad statum exaltationis graduatio? Quas sanè operationes ab aere ambiente in plantis promoueri non dubitabit, qui Plantas sub dio adolescere, non tectis clausas, obseruauerit; Hac eâdem ratione Poma illa, quæ tempore autumnali acerba colliguntur, & per totam Hyemem conseruantur, non in arcis clauduntur, sed aeri aperto exponuntur, vtpotè quæ

actum

actum vegetationis adhùc exercentia, ab acerbâ fixatione ad maturam exaltationem transire debent.

Explicato quomodò aer vegetantibus conferat, expendamus iàm quomodò, & quandò eisdem aduersetur, quod sanè duplici modo contingere potest, vel scilicèt, quià Aer a puritate recedens alterationem patitur; vel quià ipsa vegetabilia sunt immutata; Patitur Aer alterationem à miscelâ corpusculorum calidorum, frigidorum, humidorum, vel corruptorum, vndè talitèr alteratum non modò vegetantibus, sed & ipsis Animalibus noxium euadere manifesta res est; Immutantur autèm vegetabilia, proùt sunt, vel acerba, vèl matura, vèl in actu vegetationis, vèl absolutâ vegetatione iàm demortua: iuxtà enìm varios hosce respectus Poma interdùm aeri exponuntur, interdùm verò ab eodem arceri debent. Exponuntur immatura, vt ab Aere ad maturitatem, & exaltationem adiuuentur, arcentur, iàm matura, nè ab Aere, quæ satis sunt fermentata, nimiùm maturescentia, ad putrescentiam, vèl marcorem perducantur; Aeris enìm vis est, non modò fixas particulas rarefacere, sed rarefactas abradere, & extenuare, præsertìm, cum spiculis caloriferis, vèl frigoriferis est acuminatus; Et hac ratione carnes Animalium demortuæ aeri, præsertìm frigido, ad conseruationem exponuntur, vt nimirùm humidæ, & sulphureæ partes, iàm dissolu-

tæ,

tæ, quæ potiſſimæ corruptionis ſunt cauſæ, ab eodem abradantur, exſiccentur, àc reſoluantur; Ità paritèr lanea veſtimenta in perticis ad Aerem ſuſpenduntur, nè illorum effluuia, vèl ſordes, clauſo aere coercitæ, àc ſtipatæ, in tinearum generationem coeant.

Quid de Tritico dicemus, quod in Puteis ſtipatum ſeruatur, in horreis verò clauſum vitiatur, apertisque feneſtris indiget ventilari, ità vt illi neutra conditio vegetantium, vel non vegetantium accomodetur? Profectò Triticum Animâ vegetatiuâ donari indicat illius etiàm poſt annos vegetatio, cum terræ traditur germinandum; Eius tamèn ſpiritus vegetans ità fixarum particularum compedibus coercetur, vt niſi Aquâ, vèl humido, àc fermentatiuo Aere excitetur, ocioſus obdormiat, quòd de omnibus ferè ſeminibus, ſecùs, àc de fructibus, ſolet verificari. Triticum ergò in puteis repoſitum eatenùs aliquo tempore conſeruatur, quatenùs, excluſo Aere, principia eius vegetatiua in motum non excitantur; Dixi aliquo tempore; Nam ſi diutiùs, quàm par ſit, ibi detineatur, non quidèm ab Aere clauſo, ſed à ſuiſmet effluuijs, apertò aere non expurgatis, tandèm corrumpetur, vt proindè prima propoſitio adimpleatur, eandem rem, quæ vtilis quandoquè fuerit, ſi diutiùs adhibeatur, noxiam euadere. Econtrà Triticum in Horreis repoſitum,

aper-

aperto Aere conſeruatur, dummodò hic humiditate non excedat; quià, nouo iugitèr Aere ventilatum, à proprijs effluuis expurgatur: ſi autèm quæras, cur in puteis non ventilatum diutiùs, quàm in horreis clauſis, abſquè ventilatione ſeruetur, reſpondeo corruptionem fieri mediante calore; Non ergò mirùm, ſi in foueis frigidis diutiùs, quàm in Horreis clauſis abſquè ventilatione ſeruatur, donèc tandèm effluuia ipſa, vſquè ad turgentiam adaucta, incaleſcentiam, & putredinem adeò ſæuam concipiant, vt, niſi foueam aperientes illicò retrocedant, ab halitibus veneficis, indè emanantibus, repentinâ morte prosternantur &c.

Quomodò vrinatores viuant ſub aquis; Problema.

INtèr tot circà Reſpirationem ambages omnium maximè ardua mihi videtur difficultas, quæ ab vrinatoribus reſultat; Meminit enìm Cardanus Colani *a* cuiuſdam vrinatoris in Sicilià qui ternis, & quaternis horis, ſub aquis latitabat, & in Indià Occidentali paſsìm vrinatores Margaritarum oſtreis venandis intentos per horam integram ſub aquà immergi; teſtem etiàm de viſu ſe in Anglià fuiſſe refert Robertus Boyle, virum craſſiori corporis habitu

a De ſubtil. lib. 8.

bitu Thamisi in fundam descendere solitum, & ex profundis riparum foraminibus magnos, viuidosque pisces manibus eruere, quem etiàm venandi modnm in Peruanà regione frequentem vidisse testatur Acosta [a], narrat etiàm Christophorus Radziuilius ægyptios vrinatores præstantissimos, qui non contenti terrestribus furtis, frequentèr hominem in spondà nauis cubantem arripiunt atquè demersum vità, & vestibus spoliant; itaùt Nauigantes armati sæpè totà nocte vigilare cogantur.

Huius rei admirandæ rationem, in vsum, & consuetudinem refundit Boyle; at, reuerà, cùm consuetudo ex frequentatis actibus fieri debeat, intelligere nequeo, quomodò in primis actibus non fuerint suffocati, præsertìm, cum in rebus simplicitèr, & àbsolutè necessarijs nulla dari possit consuetudo; nullà enìm consuetudine sinè cibo viuere possumus, aùt loqui sinè linguà.

Thomas Cornelius eandem putat esse rationem, àc fœtus in vtero existentis, aperturam, nempè foraminis oualis, àc ductus arteriosi, quæ in eiusmodi vrinatoribus, sorte, vel industriâ, non vt in cœteris adultis fuerint occlusa; vndè sanguine suum circulum illinc prosequente, pulmonum motu carere possunt, quæ sanè ratio indè confirmari videtur, quod Anates, quæ sub aquà caput sæpè demer-

X gunt,

[a] Lib. 3. cap. 15.

gunt, cum foramine illo adaperto conſpiciantur; àt, cum vſum reſpirationis primarium non ſanguinis circulum, ſed ſpirituum animalium elaborationem, eſſe iàm ſatis probauerimus, huic ſententiæ acquieſcere non poſſumus, præterquamquòd, vt optimè notat Pechlinius, intèr Embrionem, & Adultum paritas non incedit; in illis enim, quià pulmonum veſſiculis conniuentibus, ſanguis à corde per illam ſemitam copioſus effluere prohibetur, in tranſuerſales illos ductus diuertere cogitur, àt in Adultis, quorum i .lmones iàm diù ſunt aere tumefacti, iamdiù ſanguinem affluentem admiſerunt, quonam naturæ portento continget, vt regio canali relicto per obſcura, & obliqua diuerticula ſanguis vniuerſus rapiatur? An non Infantes nupèr in lucem egreſſi ductus illos adapertos adhùc retinent, àc per menſes retinebunt? quid ergò prohibet, illos non omnes vrinatores eſſe, àc ſub aquis diù viuere poſſe?

Rationi magìs conſona eiuſdem Pechlinij ſententia mihi videtur, cauſam, non in organa continentia, ſed influida cōtenta refundētis; putat ením ís primò, in huiuſmodi hominibus temperiem ſanguinis frigidam eſſe, & ad illam piſcium accedentem, quorum ſanguis, etſi noſtro frigidior, craſſus tamèn non eſt; ſed in ſua frigiditate coagulo diutiùs reſiſtit, quàm animalium aere victitantium; addit idem, hanc frigidam temperiem à particulis nitroſis proficiſci veriſimi-

ſimile eſſe, queis vrinatorum ſanguis abundet, quæque ſanguinem ſatis ſuperque rarefacientes, & à coagulo vindicantes nitroaerearum particularum per reſpirationem introducendarum ſuppleant defectum, & cum nullo vehementi calore ſiuè per reſpirationem, ſeù tranſpirationem abigantur particulæ ſanguinis, ità eos pro tempore nouà per aerem reſtauratione non indigere, quòd alijs ob continua per calorem effluuia negatum eſt; propterea etiam ab aquis tanquàm familiari vtcunquè, & proportionato elemento minùs offenduntur, quàm qui aereo, & calido abundant fluido; horum enìm ſanguis nimiùm rarefactus ad aquæ frigus ſtatim reprimitur, & coagulatur.

Inhorum confirmationem citatus Author ſuccicas enarrat hiſtorias Authorum fide digniſſimorum teſtimonio fulcitas. Prima eſt Hortulani cuiuſdam, qui cadens influuium profundum ſexdecim horis ſub aquis moratus fuit; altera mulieris cuiuſdam, quæ per tres dies aquis paritèr fuit ſubmerſa, ſed ambo conualuerunt, tertia deniquè longè mirabilior Adoleſcentis cuiuſdam aquis ſubmerſi, qui ſeptimà demùm hebdomadà extractus (rem prodigioſam) viuus redijt, & incolumis; Horum rationem ſpeculatur Pechlinius notum eſſe aſſerens, quod Aquæ illæ in ſuecià plurimo nitro abundent, & à putredine, tum ſeipſas, tùm alia quæque diu-

tissimè libera custodiant, immò granaria ipsis aquis imminentia à corruptione tamèn immunia seruentur, nempè balsamico illo custode passim præsente; credit itaquè, effluuia nitroaerea ab aquis illis in corporum porositates, sese insinuasse, cum quibus analogiam inuenerint, & indè in sanguinem penetrantia rarefactionem, àc fluiditatem in eodem seruasse.

Non reticendum hìc tamèn puto, prætèr hanc naturalem sanguinis constitutionem posse etiàm artificialitèr, àc machinarum ministerio sub aquis tutò demergi; scio enìm ex huiusmodi vrinatoribus ingeniosum quendam, qui merces, & bombardas ex demersis nauibus euellere didicerat, à Boyle interrogatum, quandiù sub Aquà sinè respirationis vsu perdurare posset, confessum esse non vltrà duo minuta substinere posse, nisi ad aerem se contulerit, quem secum portabat in machinà, quadam, cuius figuram seruasse ait ipse Boyle apùd se; interrogatus etiàm, àn ore suo spongias aliquas oleo imbutas tenere vsu haberet, respondit harum spongiarum ope respirationis carentiam multò diutiùs substinere potuisse, quàm sine ijs.

Si quæras, quo machinæ artificio respiratio sub aquis exerceri possit, & quid ad talem vsum spongia oleo imbuta præstare valeat; Dico, ad primam, talem machinam duplici modo excogitari posse, vel

enìm

enim fieri potest fistula aliqua oblonga, cuius vna extremitas ori, & naribus vrinatoris adhæreat, altera verò supèr aquæ superficiem eleuetur, vel vasculum liquore aliquo nitroso refertum, ex quo tanquàm Pullus ex albumine oui, aùt fœtus ex Amnij liquore particulas nitroaereas exsugere possit, nèc enim alià ratione spongia oleo imbuta respirationi suffragatur, nisi quià huiusmodi particulis aereis oleum abundat.

Ad vrinatorum historias, & liquoris aerei doctrinas accedat ingeniosum alterum adinuentum, mechanicà simùl & chymicà arte celeberrimum insignis Viri Cornellj Drebellij, quem pro Rege Angliæ Iacobo nauiculam submarinæ nauigationi vtilem excogitasse narrat Rob: Boyle, & experimentum in Thamisi, miro cum successu factum fuisse; Nauigium duodecim Remiges præter transfrætandos tulit, & sciscitanti Boyle à quodam Medico, qui Drebellij filiam vxorem duxerat, qua ratione homines tot inassueti tandiù sub aquà sine soffocatione manere possent, responsum fuit putasse Drebellium non totum aeris corpus, àt certam illius quintessentiam, seù spirituosam illius partem respirationi inseruire, qua consumptà crassius, quod reliquum est, velùt aeris cadauer omninò inutile remaneat hinc pratèr mechanicum nauis artificium, Chymicum habuisse liquorem, quem præcipuum duxit

in-

intèr ſubmarinæ nauigationis arcana : quotieſcunquè enim puriorem aeris partem conſumptam, vel nimiùm reſpiratione, & eſfluuijs nauigantium grauatam animaduerteret recluſo vaſe, illo liquore repleto, de repentè, turbato aere talem vitalium partium proportionem reſtituit, qualis aliquandiù reſpirationi inſeruire poſſet.

Quoniàm verò qualis nam eſſet liquor ille nemini, aiunt, Drebellium reuelare voluiſſe, vt veſtræ curioſitati ſatisfaciam, dicam ego quid de eo ſentiam. Compertum habeo, ex aere hoc ambiente, æſtiuo præſertim tempore, liquorem quendam gelido chriſtallo in guttas adhærentem elici, à quo deindè chymicè deſtillato ſpiritus quidam tenuiſſimus, àc penetrantiſſimus extrahitur, quem vocant Hermetici ſpiritum aeris; huius ſapor acidiſſimus eſt, actiuus valdè, nèc vlla corporis eſt denſitas, quam penetrare funditùs non valeat; Puto igitùr huiuſmodi ſpirituoſo liquore aerem nauis iàm exhauſtum à Drebellio fuiſſe reſtauratum.

Difficultas hinc inſurgere poſſet ex eo, quòd ſuprà diximus vrinatores ſpongiam oleo imbutam ore tenere ad reſpirationem adiuuandam, cui ſanè experientiæ repugnare videtur altera Malphighij antecedentèr expoſita, de inſectis, quæ per totam ſpinæ longitudinem reſpirant, niſi puncta illa nigricantia oleo illinantur: Cui difficultati obuiàm ire

poſ-

possumus, dicendo, duplicem in oleo partem considerandam esse, aeream scilicèt, & glutinosam; illa ad respirationem, hæc ad præfocationem inseruit; cum verò spongiam oleo imbutam ore tenemus, per thoracis dilatationem exsugimus partes aereas; partes verò glutinosæ, si quæ descendant non in tracheam; sed in esophagum viam habent.

An vrinarum excretio fiat per organorum configurationem; àn verò per sanguinis fermentationem. Problema.

Mechanica, & Hermetica magna illa duo theoricæ Medicinæ luminaria, altera solidorum, altera fluidorum anatomen dilucidans, eam simul amoris thesseram firmauerunt, vt altera alterius operationes, aùt docere, aùt transcribere videatur, siuè enim, aùt fixum volatilizamus, aùt acidum dulcoramus, quid prohibeat Mechanico asserere, quòd solidum tenuissimè sit incisum, quòd acuta spicula sint vaginata; siuè contrà durum aliquod corpus, aùt aquà macerat, aùt ignè destruit Mechanicus, quis non videat hermeticam salium in aquà solutionem, & elementorum in igne segregationem? in hoc ergò stabili societatis fœdere discordias

dias ingerere ausi sunt hodierni problematis instigatores, quærentes, àn hermetica humorum fermentatio, àn verò mechanica renum configuratio vrinæ promoueat excretionem.

Profectò ad fauorem fermentationis pendere animnm cogit , tùm illius necessaria operatio, tùm econtrâ structuræ non omninò euidens necessitas. Incerta quidèm structuræ necessitas; etsi enìm non negauerim, talem hanc esse debere, vt sero transitum permittat, non autèm sanguini, non ex eo tamèn concludens erit illatio, quòd organi structura cum sero, & non cum sanguine configuratur, satìs enim fore crediderim, vt qnaliscumque sit foraminum figura, illa tamèn adeò sint angusta, & exilia, vt humorem duntaxat tenuiorem admittant excluso crassiori; non enìm nouum est in mechanicis moleculas quadratas facillimè transire per foramen rotundum, si foramen corpore transeunte sit amplius; econtrà licèt foramen quadratum paritèr adinueniant, si tamèn illius diametrum sit angustius inuità configuratione transitus impedietur: Scio equidèm famosa illa configurationum argumenta; quòd scilicèt per ligni, vel corii poros transit aqua, & oleum, non verò aer, & Mercurius, & per auri poros mercurius penetrat, non verò aqua, vel oleum, quòd per vitri poros auolant spiritus salini cornucerui fuliginis &c. non verò sulphurei, & vinosi,

&

& alia huiusmodi fluidorum exempla, àt non satìs conuincens est syllogismus ab aliquibus ad omnia; chilus enìm, qui ex tot contrariæ indolis alimentis quotidiè conficitur, àn eàdem perpetuò figurà per mesenterij glandulas insinuabitur? vrina ipsa quæ salinis, àc sulphureis particulis imbibi solet, quæ non ràrò abscessuum reliquias, & totius aliquandò corporis inquinamenta deducit quomodò vnicæ, àc simplici renum structuræ configurabitur?

Respondet Borellius, quòd aqua, salina corpuscula auidissimè excipiens, & intrà suas porositates abscondens externam, àc propriam figuram seruat illesam; benè est; sed quid dicemus de vrinis pinguibus, & oleosis? sanè intrà aquæ porositates oleum, & adipem abscondi posse Borellius asserere non audebit; dicet fortè aliquis aquam, & oleum habere, consimiles figuras, at quomodò in tantà figuræ similitudine tanta hostilitas in sese vniendo? quomodò bilis etiàm ipsa oleosa, ad renum vìas perpetuò non diuertitur aùt serositas ad cystim felleam? Tandèm, hanc figuræ conformitatem ad humorum excretionem non requiri, frequentes illorum translationes àb vnà in alteram partem non obscurè demonstrant, sæpè enìm, suppressà vnà euacuatione, altera promouetur, & vt Hippocrates in Aphor: *Mictio plurima paruam deiectionem significat, & econtrà*, erit ergò vna, & eadem vbiquè configura-

 tio,

tio, si vbiquè idem humor transitum habere potest.

Explosà igitùr tanquàm incertà, àc non necessarià organorum, cum fluidis configuratione, ad fermentationis necessitatem explicandam me conuerto monitos tamèn vos habens, me nullomodo admittere cum Villio peculiare illud in renibus fermentum, quòd tanquàm ideale, àc fictitium nouacula anatomica nunquàm detexit fermenta enìm in ipsomet sanguine sunt inquirenda, tanquàm partes illius integrantes, in quo, & amarum, & acidum, & salsum, & alia omnigenas facultates habentia descripsit Hippocrates.

Certiorem itaquè fermentationis operationem in vrinæ secretione fatebimur, si memorià repetamus principium illud innegabile, humores quoscumquè à gremio sanguinis eliminandos debere priùs, ab illius compage disiungi, atquè extricari; hæc autèm disiunctio, siuè fiat per modum præcipitationis, siuè per modum fusionis, aùt sublimationis, quælibet ex istis motionibus cruoris fermentationem necessariò præsupponit, quæ, motu intestino principiorum componentium, soluit, attenuat, disgregat, àc tandèm segregat; ità in musto intrà dolium ebulliente absquè vllo organorum, aùt figuræ concursu partes heterogeneæ, àc superuacaneæ secernuntur, tartaro, àc fæcibus fundum petentibus, floribus verò in superficie innatantibus;

Nèc

Nèc obijciat Borellus, sanguinem cum sero coniungi simplici contactu, non verò tenaci vinculo; tenax enìm vinculum, si non habet serum, habent saltèm illi sales, aliæue sordes, quarum tincturas à sanguinis mixto serum ipsum abradere debet, quòd sinè præuià fermentatione perfici non potest; exemplo sint vrinæ in febribus, & morbis, à crudis humoribus oriundis; illæ enìm in principio tenues, & aquosæ paucã, vel nullam salium habent tincturam, nullam nubeculam deponunt, morbo autè m ad statum, & coctionem tendente, crassiores, & coloratiores apparent, sanguinis recrementa secum ferentes: peto nunc à Mechanicis, erat nè eadem renum structura in principio, & in statu morbi? eadem certè, non negabunt; cur ergò configurantur in statu sordes illæ, quæ in principio non configurabantur? sanè nisi omninò cœcutire velimus, fateri cogemur, sordes, àc sales illos quandiù humores sunt crudi, adeò tenaci vinculo adherere sanguini, vt abluentes serositates aspernentur; post coctionem verò, hoc est post adæquatam fermentationem, laxatà sanguinis compage, fixisque salibus volatilizatis facilis est tincturarum extractio, & in serum vrinosum degeneratio: nouit optimè id Henricus Martinus, in curatione mulieris paralisi laborantis, cuius vrina tenuis, & cruda salis non separati suspicionem faciebat, doctus autèm à Famulà vrinam illam degu-

ſtante, nè veſtigium quidèm ſalſi ſaporis in eà deprehendi, morbum longiorem fore prognoſim fecit.

Borellus, more ſolito, vt motum fermentatiuum deſtrueret, ad localem confugit. *Datur enim*, inquit, *cauſa efficiens ſeparationis ſeri à ſanguine, quæ eſt impulſus, & motus vehementiſſimus ſanguinis per arterias emulgentes*. En primò quòd veritatis vi coactus ad ſeri ſeparationem, à ſanguine; prætèr, immò antè configurationem, motus operam requirit; quàm malè autèm ad motum localem recurrat, vt euidens faciamus, notandum, in fluidis mixtis perficiendis contrarias interdùm alterationes requiri; modò enìm partes heterogeneas ſeparare cupimus vt in muſto, modò illas adamuſsìm vnire, vt in electuarijs conficiendis; in caſu ſeparationis liquorem ponimus in ſuo vaſe immotum, & quieſcentem, vbi paulatìm ſeparanda deponit, quòd ſi quis dolium motu locali conquaſſet, èn iterùm ſeparata miſcentur, & vinum redit turbolentum, ità paritèr, à ſanguine per phlebotomiam extracto, & in patinà quieſcente fibroſæ partes præcipitantur, & ſerum exprimitur, *ſi verò quis ipſum conquaſſet, & fibras eximat non congelatur*. teſte Hippocrate, & experientià; in caſu verò vnionis electuarium illud diù, àc frequentèr in mortario, ſpatulà, vel piſtillo conquaſſamus; èn ergò, quòd fluida hetero-

ge-

genea, per motum inteſtinum, ſeù fermentatiuum, ſeparantur, per motum verò localem, ſeù impulſiuum vniuntur; quomodò ergò Borellus per motum ſanguinis impulſiuum ſerum, & ſales vrinoſos docuit ſeparari? equidèm non intelligo, docebit fortaſsè Collega meus Antagoniſta.

Vndè vrinæ profluuium in Diabete. Problema.

PErpetuas Heraclyti lacrimas Iuuenalis expendens illud protulit carmen. *Mirandum eſt vndè ille oculis ſuffecerit humor*: fortaſsè erat illa diabetica oculorum affectio cuius morbi cauſam efficientem ſcrutantes Galenici, plerique ad Renum calidam intemperiem confugiunt, quamplurimi ad Hepatis, & venoſi generis ardorem; alij ad Renum imbecillitatem ex frigore contractam; pro cauſà verò materiali decernunt, vel ſeroſi humoris, e venis omnibus tranſcolationem, vel ſanguinis fuſionem in ſerum, vel corporis totiùs colliquationem: At enimuerò mirari ſatis non poſſum, quanto labore, àc ſtudio in varias illi diſtrahantur ſententias, maiorem tamèn difficultatem ſupino cuncti preterea ant ſilentio, quid enìm refert, vel ab Hepate, vel à Renibus, vel in ſanguine, vel in toto corpore colliquationem ſpeculari, ſi ſæpè vrinæ quantitas, & ſan-

sanguinis; & corporis totius pondus excedere visa fuit? mirandum illis erat *vndè ille renibus suffecerit humor*, si nèc totum corpus in aquam colliquatum sufficere poterat; Non latent vos Historiæ mirabiles passim apùd Authores descriptæ; sed vt vnum pro cunctis fama loquatur opus; Puella annorum octodecim, ex Cardano, & Gattinarià, mingebat singulis dièbus vrinæ circitèr libras triginta sex, cum ex potu, & cibo non plus librarum septem assumeret, quòd profluuium, cum diebus sexaginta perseuerauerit, emisit, vltrà cibi, & potus quantitatem libras mille sepungentas quadraginta, ex quibus si demere placeat vniuersi corporis colliquationem, cum Puella non vltrà centum quinquaginta libras ponderaret, remanent mille quingentæ nonaginta libræ inquirendæ vndè prouenerint; nèc tamèn Puellæ corpus colliquatum credideris, vixit enìm, & conualuit; Causam admirandi huiusce symptomatis Authores supradicti in aerem refundunt in arterijs contentum, cui in aquam conuerso nouus quotidiè succederet, quod, etsi rationi consonum videatur, adhùc tamèn inquirendum videtur, quænam interna dispositio, non modò tantùm attrahat aerem, sed tàm facilè etiàm in aquam conuertat, cùm præsertìm elementorum transmutationes ad inuicem, & corruptibilitatem Peripateticis non facilè credamus.

Quòd

Quòd hæc aeris attractio (liceat vti vocabulo attractionis ad communiorem intelligentiã) quòd hæc, inquam, aeris attractio à Viſcerum, & ſanguinis calore fiat, mechanico experimento confirmari poſſet, ſi quis enim in clauſo vndequaquè Cubiculo ignem accendat, deindè Portarum rimulis, aùt clauium foraminibus aures apponat, aeris violentèr attracti motum, & ſibilos auditu percipiet, quid non ergò calor internus Animantium ambientem aerem trahere valeat? rectè quidèm; ſed aer in cubiculo attractus non in aquam conuertitur, cur ergò intrà corpus ea tranſmutatio continget? quarè ad meliorem huius quæſtionis intelligentiam operæ prætium, eſt aliquas propoſitiones præmittere, àc firmare quæ tanquàm faces in obſcurà nocte præluceant.

Prima erit propoſitio, motiones, & alterationes eodem modo intrà corpus animantium contingere ſicùt, & in alijs rebus extrà corpus; principia enîm generationis, & corruptionis ſunt eadem, & omnibus communia, vndè eodem modo, & eàdem de causà Lumbrici, & in terra, & intrà animalia generantur, eodem modo, & herbulæ in Agro, & pili in Animantibus progignuntur; quarè, ſi contingat extrà hominum corpus aliqua operatio Diabeti conſimilis, conſimilem vtrobiquè eſſe rationem, & cauſam probabile eſt.

Secunda Propoſitio. Effectum Diabeti conſimilem

lem extrà hominum corpus contingere cernimus in ſubſtantijs ſalinis præcipuè calcinatis, vt Vitriolo, Sale petræ, Sale Tartari, & ſimilibus, quæ omnia ſi aeri, præſertìm humido exponuntur, ſenſibilitèr creſcere conſpicimus, & omnium maximè ſal tartari, cuius libra vna optimè calcinata vdo aeri expoſita ad libras decem adaugetur.

Tertia erit propoſitio, hanc aeris attractionem non eſſe puri, àc ſimplicis aeris dicti elementaris; illum enìm incorruptibilem eſſe, conſtat veris Philoſophis, nèc in aquam, aùt aliam ſubſtantiam transmutari poſſe; id autèm contingere in aere hoc noſtro athmoſpherico, in quo ſubſtantiarum omnium effluuia colliguntur, non quidèm aquea tantummodò ſed, & ſalina, & nutritia, vt ex Rore, & Mannà, ex aere deſudantibus colligere eſt, vndè optimè Coſmopolita. *Eſt in aere*, inquit, *occultus vitæ cibus*; confirmat Dygbæi experimentum de Viperis, Viperæ enìm ab ouo nupèr egreſſæ, nèc Pollicis magnitudinem æquantes in cucurbità clauſæ, cui carta perforata erat ſuperpoſita, non integro anni ſpatio ad pedis longitudinem adoleuerunt.

Quarta propoſitio, ſi in aere attracto ſint Athomi, & moleculæ conſimilis naturæ corpori attrahenti maior indè ſequetur attractio; hæc autèm ſimilitudo àn ſit in figurà, àn in ſubſtantià, non eſt huius loci definire; & ſanè qui negant in naturà

ſym-

ſympatias, & magnetiſmos,negare tamèn haùd poterunt; quòd manus combuſta, ſi igni fiat proxima leuamen ſentiet, attractis ab igne maiori igneis athomis manum obſidentibus, quòd oris halitu male olentes, ſi ſupèr latrinam,ore hiante diutiùs perſeuerent ab eo ſymptomate conualeſcunt, quòd à Viperà, vèl Scorpione demorſis eadem ſuper vulnus animalia ſalubritèr conteruntur, quòd Ranæ rubetæ puluis Carbunculi peſtilentialis venenum attrahit, & alia innumera eiuſmodi naturæ portenta quæ, ſiuè magnetiſmos, ſiuè alitèr vocare liceat, intèr ſimilia, & per ſimilia peragi cuique compertum.

Hiſce ità præmiſſis,redeo ad diabetem,de qua eſt problema. Accidit corpori viuenti admirandum vrinæ profluuium, non ex potu, non ex ſanguine, non ex corporis colliquatione, non ex nihilo, ergò, ex aere ambiente; fit intrà corpus humanum aeris attractio, & in aquam permutatio, ſed ignotà ratione, fit paritèr extrà corpus humanum in ſubſtantijs ſalinis, & calcinatis eadem aeris attractio, ergò huiuſmodi ſubſtantias ſalinas, alchalicas, & vacuas in corpore diabetico reperiri veriſimile eſt; ſicùt autèm in ſale tartari vacuo particulæ athomoſphericæ, quæ attrahuntur in aqueam ſubſtantiam facilè diſſoluuntur, ità, & quæ diabeticorum ſanguini permiſcentur in vrinæ profluuium migrare poſſunt, non quià ab ae-

reis moleculis partes tartareæ ſanguinis diſſoluantur in aquam, nàm ſi totum corpus maſſa tartari eſſet adhùc tamèn tanto aquæ profluuio ſatis eſſe nequiret, vt ſuprà oſtenſum, ſed quià particulæ attractæ, & ſanguini permixtæ in aquam celerrimè colliquantur; eòque maius erit profluuium, quò aer ambiens particulis ſanguini conſimilibus erit refertus.

Ex dictis duplex in praxi cautio medica inſurgere mihi videtur. Prima eſt, male agere Medicos, qui Diabeticis, vtpotè morbo calido, & febre laborantibus aerem frigidum, & humidum reſpirandum proponunt; ſicùt enìm ſal tartari maximam facit attractionem aeris frigidi, & hnmidi in cellauinariâ, minimam calidi, & ſicci ſupèr tecta, ità & Diabetico continget, quòd Cardanus ſubtiliſſimus non nihil ſubodoraſſe videtur, qui frigidam, & humidam aeris intemperiem ad diabetem concurrere exiſtimauit; Hoc non benè intelligens Trincauellius, & materiam Diabetis cum causâ efficiente confundens frigidam Renum intemperiem diabetis cauſam affirmauit, idque exemplo nobilis Viri, qui, cum febre malignâ, ſitiquè ardente laboraret aquam gelidam potauit, ac ſtatim vrinæ nihil immutatæ profluuinm paſsus eſt; fallitur, inquam, Trincauellius, quòd enìm primò ægrotans ille plurimum aquæ bibens plurimam ſtatìm vrinam eiecerit, id facilè cuique contingere poteſt, abſquè vllà

Re-

Renum intemperie, vt quotidiè apùd illos videre est, qui aquas nucerinas, vèl acetosas affatìm potant, & absquè vllà alteratione eijciunt; quòd si vrina ab illo Ægrotante super aquæ mensuram excedens reddita fuerit, id non ex Renum refrigeratione (quid enìm Renes prætèr meram transcolationem, vrinæ communicant) sed ex eo contigisse arbitror, quòd remoratà per aquam gelidam corporis transpiratione, condensatæ à frigore fuligines in aquam, & cùm aquà ad Renes recesserunt.

Altera cautio medica: Vidimus non raròˋ in praxi Cachecticos, & ad Hydropem dispositos, cum frequentibus vrinæ aquosæ proflnuijs, oculorum, faciei, ac crurum intumescentià, àbsqnè eo quòd vel in potus quantitate, vel ciborum qualitate error vllus, aùt causa procathartica præcesserit; Medici consuetâ hydropis indicatione desumptà, ad diuretica confugerunt, non sinè magno patientis incommodo, & colliquationis periculo; erat enìm, vt puto, quædam diabetica dispositio, quæ, & si non sempèr in vrinas erumpat, vim tamèn illam attrahentem aeris, & in aquam permutantem exercet, vndè habitus cachecticus, & intumescentia, quæ vis in salibus acribus, lixiuialibus, ac velutì calcinatis reposita a diureticis, & consimilibus adaugetur, atquè exasperatur.

An Lambitiua ingrediantur. In Tracheam,& quomodò.

PVlmonis fistulam lambitiuos liquores ingredi, nemini puto controuersum, qui, vèl semèl tussi laborans illorum frequentià anacatharsim prouocauerit, vel Hipocratis testimonium veneretur asserentis, in mactato recentèr sue materiamità coloratam in pulmonibus reperiri, qualis nupèr ab eodem fuerat hausta, nèc obscnriùs fortè suppeditat indicium Iulius Iasolinus, qui in cadauere nobilis Viri, pericardium adeò humore distentum adinuenit, vt, eo presso, aliquid humoris per os affluxerit.

Inquirendum itaquè potiùs videtur, qua vià in tracheam liquor aliquis penetrare posit, quandò vel minima potus guttula in laryngem transcurrens molestam perpetuò tussim, vsquè ad omnimodam expulsionem excitare solet. Porrò duplicem tantummodò viam (nèc enìm alia excogitari potest) intèr nostros clarissimos Coaccademicos audiuimus controuersam; prima est recta per epiglottidem, & laryngem, altera transuersalis per Æsophagi, ac tracheæ tunicas, àc porositates, intèr annulum, & annulum transudando; primam fateor difficillimam, secundam verò impossibilem, idquè mnltiplici ratione.

Pri-

Primò enim partis structuram respicientes Tracheam duplici tunicà vestitam aduertemus, alterà tenui, & externà, alterà internà crassà, àc densà valdè, intèr quas propria tracheæ interiacet substantia, quæ partìm cartilaginea est, partìm ligamentosa. Æsophagi paritèr substantiam aduertamus, oportet, triplici integratam membranâ, primam ventriculo communem, àc tenuissimam, secundam crassam, & carnosam, tertiam non adeò crassam, sed duriorem, àc nerueam.

Iàm verò lambitiua per æsophagum descendentia, vt in tracheam insinuentur, quinqne has membranas, & prætereà tracheæ substantiàm ligamentosam peruadere necesse habent, quòd, non modò viscido, àc lentescenti syrupo, sed & spiritui volatili impossibile fore fatendum èrit; Adde, quòd per angustas, & exiles membranarum porositates liquor, præsertìm lentescens haud ingredi est aptus, nisi, à forti vi pressiuà coercitus violentèr intrudatur, quemadmodùm in carnium expressis per linteum traiciendis peragi solet; vis autèm pressiua intrà æsophagum nulla datur alia, pr̀ætèr illam musculorum deglutientium, quorum sanè vis, & à naturali structurà, & ab eiusdem æsophagi adaperto sempèr canali, non ad latera, sed inferiùs propellendum determinatur.

Talia ergò impossibilia, vt in alterà sententià

eui-

euitari posse ostědamus de Laryngis,& Epiglottidis structurà aliquà differamus oportet. Angustũ Laryngis meatũ claudit cartilago dicta Epiglottis,nè cibus, & potus decidant in tracheam,si enim, adapertà epiglottide, fiat deglutitio periculum suffocationis incurrimus, nisi molesta tussis violentà expulsione opituletur, quòd ridentibus in actu comedendi non rarò contingit, etenim epiglottis, quæ ad cibi contactum in deglutiendo contrahi solet, ad impetum cachinni violentiùs attollitur, àc reluctatur; Non adeò tamèn rigorosa est illa clausura, quin, ad latera laryngis, rimulæ quædam adapertæ remaneant, per quas, non modò Lambitiuorum portionem, sed, & potus guttulas aliquas frequentèr descendere, inditio sit, tâm facilior post potum, Catharri, per tussim excretio; tùm repentina spirandi difficultas, àc tussis, ab adstringentium, vel acidorum sorbitione; talis autèm descensus non in mediam tracheæ cauitatem irruere debet, sed per illius parietes, sensìm diffluere, quos blandà, ac dulci humiditate leniendo, àc relaxando promptiores reddit dilatationi, copiosæ autèm liquoris introductioni obstat primo, epiglottidis clausura, quæ, si quandoquè declinetur, tussis, secundò, introductum, expellit, immò, quò maior, in cibi, vel potus deglutitione sit œsophagi turgentia, eò magìs rimulas illas œsophago collaterales coarctari credibile est, indè sùmpto

pto

pro argumento, quòd interdùm, ex boli maiusculi deglutitione suffocationis periculum incurrimus, non quià boli portio in laryngem diuertatur, tussis enìm adesset, sed quià factà tracheæ, & rimularum pressione aeris ingressus, vel egressus intercipitur.

An Somnus calefaciat, àn refrigeret. Problema.

DVbitandi anzam dedit Hippocrates, contrarias doctrinas nobis exponendo. Primò enim, Epidem textu 5. *Labor* (inquit) *articulis, cibus, & somnus visceribus.* intellige calorem auget, vt paulò infrà declarauit in eodem textu ijs verbis. *Vigilans calidior externis partibus, frigidior autèm internis, Dormiens viceuersà.* hinc à sõno coctiones optimè celebrantur adaucti caloris euidens argumẽtum; hinc eiusdem Hippocratis Aphorismus, *Ventres hieme, & verè naturà calidissimi sunt, & somni longissimi.*

Contrarium tamèn expresè docuit lib. de flatibus num, 20. his verbis; *Cum enìm corpus inuaserit somnus, sanguis frigesit; à naturà enìm somnò frigefaciendi vis inest; Infrigidato autèm sanguine &c.* & Hippocrati subscripsit etiàm Aristoteles: nèc authoritatibus deest ratio experimentalis; videmus enìm, quotquot nimiùm indulgent somno floridum vultus colorem deperdere, cutis venustatem

de

defædare, ſegnes, & imbecilles ad functiones omnes euadere, ſic Glires, Tartarucæ, aliaque animalcula glutinoſi, & frigidi ſanguinis totâ hieme dormiunt, vt proindè non immertò Vates.

Stulte quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago, quas res, ſi conſideraſſet Valleriola textum illum in lib. de flatibus nequaquàm, vt falſum, & mendacijs plenum repudiaſſet.

Ioan: Benedictus Sinibaldus Pater meus textus hoſce triplici reſponſione conciliare ſtudet [a]. Prima eſt, quòd aliud eſt ſomnum augere calorem viſceribus, aliud augere ſanguini; cum ìgitur ſpiritus in ſomno ad ſua principia reuocentur; ſequitur indè, vt ſanguis calore depauperetur; atquè adeò frigeſcat; atquè ità refrigerato ſanguine augetur calor viſceribus; Veniam tamèn hic peto, ſi Parentis dictato ſubſcribere recuſo, imaginari enìm nequeo, quomodò ſpiritus, qui in ſanguine continentur ipſum relinquant, & ad viſcera ſecedant, tanquàm ad ſua principia; quis iſtam ſeparationem molitur? quis dixerit ſpirituum principium eſſe viſcera, non verò ipſum ſanguinem, cuius particulæ exaltatæ in ſpiritus conuertuntur? Nonnè ſanguis motu perpetuo per ipſa viſcera circulatur? quomodò ſpiritùs, ibi, tanquàm in ouili ſtabulantes non reaſſumit, ac ſecum ducit? Præterea, ſi ſpiritus anima-

a Hipp. Antiphon.

males ad suum principium, nempè ad Cerebrum reuocantur, cur eo tempore, quo somnus inuadit, capitis grauitatem, & ad operationes impotentiam experimur? cum potiùs ob spirituum abundantiam robur Cerebro augeri deberet? Tandèm, neque ad mentem Hippocratis hanc responsionem fuisse indè licèt arguere, quod Idem Hippocrates lib. de Dietà dixerit. *Diuturnus somnus viscera excoquit.* Vocem autèm illam *excoquit*, iuxtà eiusdem Sinibaldi interpretationem intelligere debemus, sicùt carnes excoctæ dicuntur cum ob nimiam elixationem omni substantià, àc sapore spoliantur; somnus ergò diuturnus viscera excoquendo refrigerat, & omni spiritu, atquè energià depauperat.

Secunda responsio est, quòd somnus breuis, & moderatus, ob spirituum ad centrum recursum visceribus calorem addit; Diuturnus verò, quòd excoquat, & humectet, valdè refrigerat; sed neque hæc responsio satisfacere videtur; si enìm somnus retrahit calorem ad viscera, diuturnus somnus diù etiàm retrahet, nèc explicatur, cur diuturnus humectet, ac refrigeret, quandò paucus calefacit; actio enìm illa, quæ calefacit, si diù perseuerat, magìs calefaciet. Prætereà, neque hæc interpretatio ad mentem Hippocratis respondet; Somnum enìm refrigerare, non modò quandò est Diuturnus; sed etiàm, quandò est in principio, manifestè declarant

Aa eà

eà verba ſupracitati textus, *Cum enim corpus inuaſerit ſomnus, ſanguis frigeſit* inuadere autèm denotat principium actionis; non autèm conſumationem.

Tertia interpretatio, ſomnus pleno ſtomaco calefacit; quià congregato calore, auctoque alimento, corporis refouentur partes, ieiuno autèm ventre refrigerat, quià adauctus calor, cum quod depaſcat alimentum non inueniat, proprium humidum depopulatur; vndè calor euaneſcit; quæ ſententia eſt Hippocratis 2. de Dieta num. 2. *Somni ieiunum attenuant, àc frigefaciunt, ſi non longi fuerint præſentem humiditatem euacuando, qui verò magis calefaciunt colliquant cärnem, & corpus diffundentes exſoluunt, àc debiles reddunt; à cibo verò ſumpto calefacientes, humectant, alimentum in corpus diffundentes.* Hæc doctrina, etſi vera ſit non tamèn ſoluit difficultatem, non enìm adhùc intelligitur, quomodò per ſomnum augeatur calor, eo tempore, quo ſanguis refrigeratur.

Vt in hac difficillimà, quæſtione proferam, & ego quid ſentiam, in primis fateri dèbemus cum Hippocrate lib. de flatibus, ſanguinem à ſomno infrigidari; hæc autèm infrigidatio, quomodò contingat explicare opus eſt. Porrò cum ſanguinis calor fiat à particulis eiuſdem nitroſulphureis in ſpirituum naturam exaltatis, àc duplici ſanguinis mo-

tu

tu circulari, nimirùm; & fermentatiuo, volatilizatis, hinc à nouis alimentis sanguinis massam iugitèr ingredientibus illius efferuescentiam, & exaltationem viscidà cruditate obrui necesse est, quæ propterea viscerum, & sanguinis calore excalefacta, & in vapores eleuata spiritus neruorum, & cerebri incolas vaporoso halitu obtundit, àc tanquàm inuolucro contegit, & ob huiusmodi spirituum velamen cerebri, àc sensuum omnium resultat obtusio, àc debilitas, somno inuadēte, & eo modo propemodum, quo ignis cineribus obuolutus, flammam, àc splendorem deperdit, sed à consumptione, atquè extinctione seruatur, ità spiritus animales inuolucro obuoluti ab ea, quàm in vigilià patiuntur resolutione conseruantur; talis itaquè est spirituum per somnum refrigeratio; qualis ignis per cineres; impeditur nimirùm flammæ, & caloris expansio, non tamèn tota ignis actiuitas, quæ subiectos carbones excoquere prosequitur; pari ratione spiritus animales à cerebro magno externis sensibus distributi velamen in illis somni tempore, & obscuritatem relinquunt, quià interni sensus eodem velamine obtusi de illorum actibus iudicare non possunt; qui verò Cordi, arterijs alijsque partibus voluntatis imperium non agnoscentibus à Cerebello demandantur, licèt aliquo, & ipsi inuolucro vestiantur, suas tamèn functiones non ægrè prosequuntur, sicùt ignis

cineribus tectus suas aliquatenùs prosequitur; hinc dormientium pulsus rariores, àc paruiores apparere solent, hinc, optimè inquit Hippocrates *somnus concoquit, vigilia digerit*; in vigilia enìm maior est ventriculi, & intestinorum motus peristalticus, & velocior sanguinis per cor, & arterias circulatio.

Remanet vltimò inquirendum ex dictis, quarè somnus diuturnus, & is, qui ieiuno fit corpore soleat refrigerare, de primo ità ratiocinari debemus quod nimirùm in illo ob sanguinis motum tardiorem, àc spirituum eo tempore torpedinem adeò eisdem accrescat inuolucrum, vt illos penè obruat, & extinguat; De secundò rationem reddit Hippocrates textu supracitato de Dieta, scilicèt *attenuando, & præsentem humiditatem euacuando, & carnes colliquando corpus debile reddunt*. Si quæras quomodò in ieiunò dormiente talis attenuatio, & carnium colliquatio contingat, responsionem, ab eodem Hippocrate eliciemus supracitatis epidemiorum textubus quià nimirùm somnus calorem auget visceribus; si verò iterùm instabis, quomodò somnus eodem tempore sanguinem frigefacere, & viscera calefacere possit, quod nos superiùs obiecimus Sinibaldo, hoc opus, hic labor est; non enìm, vt ibi diximus, ea spirituum à sanguine ad viscerà retrocessio somniari potest: aliquid ergò subtilius, & physico sistemati magìs congruum speculari debemus.

Rem

Rem á longè nimis desumemus, nempè ab affectione morbosà naturalem intelligere satagentes; proderit ergò perpendere, quomodò in visceribus, aùt carnibus Phlogoses, aùt Phlegmona; siuè inflammationes contingant? Porrò in praxi medicà quotidiè obseruamus, illos, qui Anginà, Pleuritide, aùt alijs, etiàm extrinsecis inflammationibus frequentèr inuaduntur, omnes sanguinem habere adeò crassum, & crudum, vt in albos, àc durissimos fungos in superficie concrescat, nèc mirum; tunc enìm in aliquà parte, siuè intrinsecà siuè extrinsecà tumor phlegmonosus contingit, cùm impeditá ibi circulatione sanguis ad eam affluit, àc redundat, quòd potissimè fit, cum sanguis ab arterijs in partes delatus ob suam crassitiem, àc lentescentiam minimas venulas, & partium spatia obstruens ab illis proportionatà mensurà non reassumitur, en ergò sanguinis lentescentia, & cruditas ad viscera inflammanda disponitur, quod etiàm in febribus lipirijs obseruamus, in quibus, teste etiàm Hippocrate, exteriora frigent, interiora vruntur; Non dissimili ratione de somno philosophandum videtur, in illo enìm, ob cibi, & potus quotidianos aduentus, sanguis recrudescens, & lentorem, acquirens, vt spiritibus inuolucrum, ità sibi motus tàrditatem conciliat, sicut ergò ob impeditam spirituum, & sanguinis expansionem externæ partes fiunt frigi-

dio.

diores ità ob motum ſanguinis in viſceribus retardatum, àc redundantem, & ſpiritus ad extrà non diſſipatos, calor viſceribus adaugetur; Vndè Hippocrates 6. epidem textu 5. *Vigilans calidior externis partibus, frigidior autèm internis, dormiens viceuerſa*; & ruiſùs alibi *ſanguis in ſomno intrò magis repit*.

An excedens lætitia ſit ſaluti proficua an verò noxia.
Problema feſtiuum pro Viennâ defensâ.

EPaminondas Thebanorum ſtrenuus Imperator, cum feſtiuâ quadam lætitiâ ciuitas vniuerſa aliquandò tripudiaret, ſolus ipſe, & armatus, vrbis mœnia vigilis in morem deambulans, ſciſcitanti reſpondit; *Vt Cæteri incolumes conuiuijs, & cantibus indulgere queant*; Præclara vtiquè Thebani Ducis vigilantia, qualem propemodum hodierno problemate nos Medicos imitaturos confidimus; Cùm enim in anteactis nupèr Catholicarum Phalangium victorijs Vrbem Romam, extremo exultantem gaudio, & ferè vſquè ad inſaniam debaccantem viderimus, nos, quorum curæ Vrbis ſalus, & conſeruatio demandatur, noui tanquàm Epaminondæ armatâ Pallade vigilantes, non ab re inquirendum putauimus, àn excedens lætitia ſit humanæ ſalu-

ſaluti proficua, àn verò pernicioſa; Enimuerò magiſtræ experientiæ monumenta reuoluentem terret me Romanæ Mulieris infelix lætitia [a], quæ, Cannarum è clade ſoſpite filio, quem iàm defleuerat, redeunte [b], repentino gaudio corruit exanimis; Nèc diſſimili ſorte Diagoras ille Rhodius, tres eàdem Olimpiade filios ſimùl triumphantes, & coronà inſignitos aſpiciens, cum ſuas illi Patris capiti coronas imponerent, intèr filiòrum amplexus animam expirauit; Sic Philippides [c] Athenienſis comicus, & Sophocles inſignis ille Poëta tragicus, ambo in Poetarum [d] certamine coronam adipiſcentes, lætitiam in læthum commutauere. Sed dies potiùs, quàm exempla deficient, ſi cunctas gaudij vehementis tragædias narrare ſit animus, vt proindè cum Tieſte apùd Senecam liceat exclamare;

An habet lacrymas
Magna voluptas?

Immò ſapiens illud Salomonis adagium, *extrema gaudij luctus occupat*, non dè gaudij confinio, ſed de exceſſu libentiùs interpretarer.

Repentinæ huius metamorphoſis cauſam perſcrutantes Philoſophi, nimiam ſpirituum reſolutionem communitèr aſſignant, cui tamèn ſententiæ non facilè acquieſcendum putamus; Nimia enìm ſpirituum reſolutio, cum nonniſi ſucceſſiuè contingere poſ-

a Plinius. b Gallius. c Celius. d Val. Maximus.

possit, à minori in maiorem, & maximam progrediendo, ità celeri quidèm, non autèm repentino iugulabit interitu; Non ergò spirituum dissipationem, sed interceptionem potiùs inculpandam crediderim; sicùt enìm è vasis, quæ angusta nimis habeant orificia, si totum violentèr, àc repentè liquorem in osculum impingamus, ne gutta quidèm illius effunditur, ità in summâ, àc violentâ lætitiâ spiritus, & succi neruei adeò impetuosè irruunt à Cerebello in neruornm sexti paris angustias, vt vicissim sese à motu impedientes, Cor paritèr motu destitutum, & in Eclypsi relinquant. Roboratur vlteriùs mea hæc sententia ex pulsus inæqualitate, quæ excedenti lætitiæ est familiaris: Hæc enìm motus potiùs inordinati, & intercepti, quam exsolutionis est argumentum.

Diuersà non nihil ratione illorum interitum contigisse arbitror, qui ridendo fatum obierunt, vt Zeusis, insignis ille Pictor, qui cum Vètulæ deformitatem, omni studio delineasset, eamque attentè intueretur, vsquè adeò in risum prorupisse dicitur, vt risum, & vitam simùl absoluerit; vt Philemon Poeta siuè alijs, Chrisippus, qui, Asinum, ficus mensæ paratas comedentem aspiciens, violento cachinno fuit interemptus; vt Philistion comicus, de quo Poliitianus in Nutricià

Risuque Philistio tandèm

Perditus &

& si qui sunt alij; Hos enim, etsi lætitiæ soboles, & argumentum sit risus, non tamen ex Animalium spirituum interceptione, vt ante dictos, sed ex respirationis impedimento, àc suffocatione occidisse credendum: Quippè quià in respiratione Diaphragmatis musculus deorsùm in Abdomen extendi, & intumescere debet, in risu econtrà sursùm in Thoracem attollitur, & contrahitur, vt proindè in violento, ac diuturno cachinno spasmodicâ musculi illius contractione respirationem intercipi sit necesse, & ridentem suffocari. Atquè hinc difficultatis cuiusdam emanat ratio, quàm Scaligèr ignorans studiosis indagandam relinquit[a]: *Apud Aegyptios*, inquit, *Grassatores, & rebelles pro supplicio viuos, exui corio, eos ità demùm diù magno cum cruciatu viuere, si Carnifex vmbilicum ferro non attingat, eò tacto illicò expirare*. Rationem docebit Anatome, eandem ferè, quam de risu explicauimus: Cum enim vena vmbilicalis sit ligamentum, quò Hepar deorsum trahitur, ne irruat in Diaphragma, cui paritèr adhæret, secto tali ligamento, Diaphragma Hepatis pondere obrutum, deorsùm prò respiratione nequit extendi, vt ridentibus contingere diximus.

En qualia ab extremo gaudio pericula expauescere cogimur; mira sanè Romani Populi pietas, àc fides, quæ lætitiæ peperit laudabiles excessus; sed,

Bb mo-

a Exercit. 146. in Card.

moderare, precor, ò pia Ciuitas, Animi extuberantes excursus, ne illis fortè succumbens, maiorum facinorum futuro gaudio subripiaris: Non enim tanta est rerum gestarum fœlicitas, quanta rerum gerendarum spes insurrexit. Duratè igitur, & vos met rebus seruate secundioribus: Etenim; si præ solius Viennæ defensæ gaudio penè insanimus, quid ampliùs, rogo, peragemus, cùm incomparabilis Rex ille Ioannes, qui nomine gratiam, nudato ense iustitiam præsignificat, expugnato Bizantio iustitiam legitimi Imperatoris, & gratiam Catholicæ fidei restituet: Quid ampliùs, cum inuictus ille Dux Lotharingiæ, Ataui Goffredi calcans vestigia diuini Redemptoris Sepulchro triumphantia vexilla prosternet? Tunc, rogo, tunc, Auditores pijssimi, extremo gaudio frœna laxemus, vt, si fortè tantarum fælicitatum incapax Cor spirituum patiatur Eclypsim, festiuis lacrymis pronunciemus; *Zelus Domus tuæ comedit nos*.

De Simplicium Signaturis extrinsecis.

INter Apum legiones, quæ florum, ac stirpium prouincias aculei gladio depopulantur, solum Regem inermem nasci, & aculeo carere compertum est; Magnum vtiquè, ni fallot, humano generi, vel solamen, vel documentum, cùm enim cætera animan-

mantia Naturæ Parentis munificentià, plumis, corio, squammis, aùt vellere vestiantur, dentibus, vnguibus, cornibus, aùt spinis armentur, solus homo princeps, Naturæ veluti priuignus, de suà nuditate meritò quereretur: Ah sileas quæso superbissime Animalium Rex, quod nudus, quod inermis enasceris tolerabile est infortunium, immò etiàm laudabile, si consulis Aristotelem; maiora longè habes, vndè doleas, & nouercam Naturam iniquitatis redarguas: Aspice, rogo, belluas, vt innatà simplicium scientià, tanquàm Apes à floribus, ac plantis, quod sibi congruum vnaquæque delibat; quis enìm dictamum Ceruos edocuit, qua vulneribus medeantur nisi Natura? quis ad venenum Chamaleontis laurum Coruo, oleastrum comedere Elephanto suasit, nisi Natura? quis ad partus adiuuandos ætitem lapidem fœturis Aquilis insinuauit, nisi Natura? Quis Leoni, deuoratà Simià febrem excutere, Vrso formicarum comestione Mandragoræ noxam expellere, Serpentibus fœniculi affricatu cæcutientes oculos excitare, atquè alia innumera, in quorum serie dies deficeret, nisi ipsa Natura? fortunata quidèm natura, fortunatissimæ Belluæ! vos non Platonis Accademiam, non Aristotelis lyceum sedulò frequentastis, vt vobis vtilem perdisceretis doctrinam, sed ab ipso Matris vbere scientiam cum lacte sugentes ignaros homines vestro eruditis exem-

 plo,

plo, Tu verò infœlix Homo, velut Apum Rex scientiæ destitutus aculeo nuditatem ne lugeas, sed ignorantiam, scilicèt hoc te decuit defloratæ piaculum innocentiæ, vt Paradiso depulsus, morbis, ac laboribus damnatus a crimine in ignorantiam labereris; cum econtrà Natura parens innatam simplicium scientiam hominibus ereptam ferino generi sit elargita.

Verùm enìm verò, falsò queritur de Naturà suà genus humanum, vt inquit Salustius; non etenìm tanta est Naturæ in homines indignatio, vt Patribus labruscas comedentibus, stupor æternus filiorum dentibus perseueret: iratam filio Genitricem vobis interdùm videre contigit Auditores, heù materni immemor amoris, natum domi Penatibus expellit, iurgijs ac maledictis inculcat, alimentis ac vestibus derelinquit egenum; at si ille omni ope destitutus in morbum incidat aliquandò, ò quàm properè cedit ira locum timori! O quàm facilè materna pietas reuiuiscit! Natum reducem lacrimans amplectitur, & cordi sanguinem reconcilians, nil pro eius valetudine intactum, nil preterit intentatum. Talis profectò extitit Natura Parens, furore percita aduersus hominem crimine inobedientiæ fœdatum, dabis improbe pœnas, exclamauit impatiens, ac pede tellurem percutiens, furientis in morem, exere, inquit, o Tellus, humani generis ad perni-

niciem Cicutas, Aconita, Napellos, queis Hominem a te fugere compellas, exere spinas, ac tribulos, vt fugientem retineas, alimenta venenis admisceantur, putredine adulterentur, atquè intèr segetes vtiliores *infœlix lolium, & steriles dominentur auenæ*.

Hæc fuit iratæ Parentis rigorosa vindicta, sed Homini tot intèr miserias ægrotanti, tandèm aliquandò placata est. & simplicium viridarij ianuas illi recludens morborum exhibuit medicamina; Nèc sanè de Simplicium scientià habet Homo quid Brutis inuideat; Natura enìm tanquàm industris Pharmacopola, qui singulis vasculis, ac phyalis inclusi pharmaci nomen describit, per quasdam extrinsecas rerum signaturas simplicibus penè omnibus non tantùm nomina, sed virtutes in superficie descripsit: Tolle igitùr, ac lege Naturæ characteres ingeniose mortalis, si botannices scientiam exquiris, si mortis iacula declinare contendis, lege plantas, quæ flore sùnt albo, & morbis conferunt pituitosis, vt Agaricus, Brionia, Lilium conuallium, lege plantas flaui coloris, quæ bilem expurgant, vt Rhabarbarum, Centhaurea, Chelidonia, lege nigras, quæ melancoliam euacuant, vt Sena, Helleborus niger, atquè indica mirobolana, lege alias, quæ rubram faciunt decoctionem, & sanguinem purificant, vt China, Chamedrius, Acetosa, ad hæc, Plantæ, fru-

ctus,

lo, & à Deo responsum excipit, vt æneum Serpentis erigat simulacrum: *Fecit ergo Moyses* (liceat sacri voluminis vti verbis) *Serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem, cum percussi aspicerent sanabantur*: Mirabilis quidèm Deus Moysis, mirabilis tamèn anteà Deus Naturæ, vtpotè qui primæui sceleris in pœnam, serpentes ad hominum perniciem procreauerit, eorundem posteà simulacro salutem morientibus reparauerit: noueritis ergò eiusmodi simulacrum præceteris in Dracunculo, Aconito Pardialanche, atquè Echio viperino.

Echion habet semina in floribus tanquàm Viperarum capita; cum vino potum non modo prodest à Serpentibus demorsis, sed eos morderi non patitur, vt asserit Dioscorides, vel noxam ab illorum morsu nullam permittit, vt inquit Paulus Ægineta.

Aconitum, ad cuius tantummodò nomen horrore viscera quatiuntur, cuius violentis, ac læthalibus effectibus congruam Poetæ originem tradere cupientes ab Herebo illam perduxerunt, fabulantur enìm Herculem ab inferis reducem Cerberum catenis vinctum secum traxisse, qui deindè euomens, ac spumam eiciens super tellurem Aconiti semina produxerit. Huiusmodi tamèn funestissimi veneni non adeo fugiendus est vsus, quin aliquam ab illo nanciscamur vtilitatem, habet enìm Scorpionum imi-

imaginem, ac signaturam in radicibus, quæ proptereà ex vino tepido exhibitæ Scorpionum veneno sunt alexipharmaca, vt pluries experientià comprobatum affirmat Osualdus Crollius, & admiratione dignum est quod Dioscorides enarrat, Scorpiones, admotà Aconiti radice torpescere, ac tanquàm mortuos stupere, qui deindè ab Helleboro contacti excitantur, ac reuiuiscunt.

Habent etiàm Serpentum signaturam Dracunculi, maior, & minor, vt videre licet in eorum fusto figuram serpentis versicolorem repræsentantem; vterque serpentum morsibus exhibet antidotum. Minor autèm Dracunculus, ludentis Naturæ miraculo ad primas serpentum vernationes exerit se terrà, & cum ijs in terram condirur, nèc omninò, occultato eo, apparet serpens, officioso Naturæ munere, vt inquit Crollius, remedium demonstrantis, & formidinis tempus præmonentis.

Paradoxicam sempèr Platonis sententiam miratus sum tertio de Republ. asserentis Medicum illum optimum fore pro suà Republicà, qui ab ineunte ætate omni morborum genere laboraret, atquè hanc Platonis opinionem proprià experientià comprobasse videntur Hippocrates, & Galenus, quorum Primus tertio Epidem: post variam morborum enarrationem de se refert in eos omnes incidisse, alter verò quinto de Sanit. tuend. insalubrem

cor-

corporis constitutionem ab ortu fuisse nactum affirmat. An vera sit de Medicis hæc assertio, equidèm ignoro, verissimam tamèn de medicamentis inuenio, quorum illa optima sunt ad morbos curandos, quæ tales morbos in semetipsis manifestè representant. Huiusmodi sunt Scrophularia, Hemorroidalis, Scabiosa, & Hipericon, quarum vnaquæque nomen, & figuram retinet illorum morborum, quibus prosunt, Scrophularia enìm, & Hemorroidalis radicem habent protuberantem ad scrophularum, & hemorroidum similitudinem, quas non modò decoctione, sed solo contactu, si multorum credimus experimento, sanare asseruntur; testantur enìm quam plures, quod si Hemorroidalis radice Hemorroides tangantur, deindè radix illa suspensa gestetur, eodem temporis progressu, & radix, & hemorroides exsiccantur; experiri ergò poterit, si quis est, qui Medicorum derisionem effugere cupiat apùd Poetam.

Caeduntur tumidæ Medico ridente mariscæ

Sic Scabiosa optimum Scabiei remedium, vndè nomen sortita est, scabiem in capite squammoso demonstrat, & Hypericon, quæ vulgò perforata vocatur folia habet innumeris foraminulis quasi acu traiectis perforata, ideò ad omnes tum externas, tum internas cutis lesiones saluberrima; eius etiàm flores, post putrefactionem, in formam sàn-

guinis dissoluuntur; peculiarem ad vulnera vsum designantes.

Postremò Iani simulacrum aperiamus, illius nempè Numinis bifrontis, quod ex alterà parte iuuenilem, ex alterà senilem faciem representabat: talis profectò videtur Planta hæc Orchis nuncupata, Testiculus Canis, ac Testiculus Vulpis, planta nimirùm generationi optimè conducens, & genitalium imagine donata: Ianus autèm bifrons meritò dici potest, eo quòd duos testes præseferat, quorum alter superior maior, ac plenior ad stimulandos coitus aptus iuuenilem fœcunditatem ostendit, alter verò inferior, mollior, ac rugosior aptus ad inhibendum senilem sterilitatem demonstrat, & Natura hominum generationi satagens, hac testium imagine ac bulbosis radicibus, quæ spermatis etiàm redolent odorem, res venereas, & conceptum promoueri significauit, vndè lepidè, more suo, Martialis

Cum sit Anus coniux, cum sint tibi mortua membra
Nil aliud, bulbis quàm satur esse potes.

Remanet nunc difficultas quædam enucleanda, quæ mihi ab enarratis signaturis iàm dudùm insurrexit, cur videlicèt à dictarum plantarum similitudine aliquandò sympathia, aliquandò verò antipathià significetur, explico: Malum citrium, & fructus A-

na-

nacardi habent figuræ similitudinem cum Corde, & cum eodem habent pariter sympathiam, Pulmonaria pulmonum, Aristolochia rotunda vteri muliebris habent imaginem, & ijsdem etiàm partibus opitulantur, Capillus Veneris, Tricomanes, & cæteræ herbæ capillares, sympathicâ similitudine capillorum promouent generationem. Contrà verò Aconitum habet figuram Scorpionis, sed cum eodem tantam habet antipathiam, vt solo contactu radicis illius, stupeat Scorpius, ac rigeat, Echion, & Dracunculus Viperarum, ac Serpentum habent similitudinem, sed illorum venena destruunt, & expugnant: Mirabitur sanè Philosophus in eodem subiecto similitudinem, & antipathiam, mirabitur Medicus artis fundamenta corruere *Contraria contrarijs curantur, Similia similibus conseruantur*, mirabitur Physiognomus, qui à membrorum similitudine morum, ac temperamenti vniformitatem præcognoscere consueuit.

Huic difficultati a nemine, quod sciam, hactenùs agitatæ, occurrere possumus dicendo, Naturam signaturas fecisse in plantis in gratiam Hominis tantummodò, non in gratiam Serpentum, vndè fit, vt plantæ illæ, quæ similitudinem habent cum rebus in homine conseruandis habeant etiam cum illis sympathiam, quæ verò similitudinem cum rebus ab Homine fugiendis, habeant cum ijsdem antipa-

thiam; Ratio quidèm fortaſsè non improbabilis, quià tamèn rationes a priori videntur ſapere potiùs Metaphyſicam ſubtilitatem, quàm Phyſicam euidentiam, aliam reſponſionem excogitauimus, Medico, qui eſt Artifex ſenſatus, & Phyſicæ fundamentis magis congruam.

Dicimus ergò, ſimilitudinem plantarum qualiſcunque ſit, ſiue cum Homine atquè eius partibus, ſiuè cum viperis, ac ſcorpionibus, ſempèr ſympathiam, nunquàm antipathiam ſignificare; huius ergò ratione ſympathiæ, Echion, Dracunculus, & Aconitum virtute quadam magneticà, ac prædominante venena ſerpentum adſeſe attrahaunt, & a Corde elonginquant; vndè Homini ſalus, hac eàdem ratione ex viperinà carne theriaca conficitur aduersùs viperarum venena antidotus preſtantiſſima, ſic demorſis à cane rabido eiuſdem canis pili, atquè iecur ſunt alexipharmacum, & ſupèr vulnera ſcorpionum ſcorpiones ìpſi ſalubritèr contèruntur, Achillis hàſtæ non fabuloſæ, quæ vulnus inferunt, & medelam: nèc tamèn vllus vnquàm ſomniauit viperam, canem, & ſcorpionem cum ſemetipſis, & cum proprijs venenis habere antipathiam: Quod ſi Scorpius ad contactum herbæ ſympaticæ, vtpotè Aconiti iaceat illicò ſemimortuus, hoc non aliundè fieri poſſe putauerim, quàm ex eàdem virtute ſympathicà, ac magneticà, qua Aconitum attrahens ad ſeſe quali-

lirates, ac ſpiritus viuificos Scorpionis, exhauſta, ac frigida eius viſcera derelinquat, eodem prorsùs modo, quo ſalſamenta in culinis per noui ſalis appoſitionem inſipida redduntur, quo ab ouo frigore congelato per impoſitionem in aquam frigidiſſimam frigus extrahitur, quo Lucerna ad Solem, vel fornacem expoſita ab eiuſdem ſympathicâ,& attrahente virtute langueſcit primùm deindè extinguitur, quo deniquè membra ſupramodum incaleſcentia (ſi fidem Crollio præſtamus) per appoſitionem ſpiritus vini ardentiſſimi ad temperiem reſtituuntur, calor enìm, vt inqnit ille, vi magneticâ attrahit calorem.

Hac doctrinà cui nos acquieſcimus, ſi quis meliorem excogitauerit, docenti gratias agemus, quas interìm agimus audientibus.

Plantarum Metamorphoſis.

IN *noua fert Animus mutatas dicere formas, corpora*. Plantarum Metamorphoſim aggredior, qua Natura Parens fœcunda ſempèr prodigiorum innouatrix, ſiuè Artis chimicæ primæua Magiſtra videri ambigens, quæ Paracelſus de metallorum tranſmutationibus aſſerit, plantarum tranſmutationibus ipſa prædocuit, ſiuè Hiſtrionicam exercendi cupida Telluris in theatro ſcenarum mutationes diſponit vndè ipſa ſimplicia, mutatis indumentis diuerſas gerere perſonas ediſcunt, ſiuè deniquè Poeta

tarum, ac Pictorum libertate fruens, quorum sanè *Quidlibet audendi sempèr fuit æqua potestas*. Vt loquar cum Horatio, humano capiti ceruicem iungere equinam, & non chimericos Hircoceruos audet effingere. Romanæ Reipublicæ Metamorphosis magna vtiquè illa extitit, qua, vniuerso penè Orbe victricibus armis edomito, magnarum ad instàr molium, quæ corruunt in se ipsas, ciuiles intèr ingemuit discordias, *Populumque potentem in sua victrici conuersum viscera dextrà* cecinit Lucanus; Talis profectò extitit Natura Parens, quæ, tot miris partubus vbiquè germinantibus Orbe iam saturo, noua videtur enixa esse portenta, quibus rerum naturalium ordo mirabilis inuerteretur, & bello veluti intestino pugnet Natura cum semetipsà; non ne etenim Naturæ discordia luculentèr innotesceret si postquàm venena produxerit, venena desinerent illa esse? si quæ res naturà immobiles progignuntur naturalitèr postmodùm mouerentur? si quæ verò & sensu & ferocitate præcellunt, syderatæ, àc cicures redderentur? si quæ Plantæ vnam speciem constituentes in alteram diuersæ naturæ disperderentur? si quæ calidam temperiem sortitæ fuere, validissimè tamèn refrigerarent?

Hæc, & similia Naturæ discordis argumenta siuè potiùs plantarum Metamorphosis rudimenta vt clariùs exaremus, non hic fabulosa Poesis delira-

ra-

ramenta expedit memorare quibus Cypariſſus in Cupreſſum, Atis in Pinum, Hyacinthus, Narciſus, & Adon in flores eiuſdem nominis migrauerint, nèc reminiſci dignabimur Clitiæ in Elitropium, Syringis in Arundinem, & Phætontis ſororum in Populos abeuntium, non Myrræ, non Smilacis, non Leucothois, & ſi quæ ſunt alia ſimplicia, Lymphà Hyppocrenis irrorata; veras autèm, àc phyſicas metamorphoſes fabuloſis neutiquàm diſſimiles enarrabimus, non vt Vatum imitationi Naturam ſtuduiſſe exiſtimemus; prior enim illa, quàm Poeſis, quin potiùs Poetarum adinuentis exemplaria ſuppeditaſſe, crediderim, ac veluti Promptuarium.

Prima ergò, quàm placeat deſcribere, erit metamorphoſis motus, qua nimirùm Traciæ plantæ ad Orphei citharam concinnè tripudiabant, qua paritèr thebani lapides, armonicis Amphionis cordis attrahentibus ad mœnia properabant: Motum hunc apùd ſimpliciá non deſiderabimus, ſi memoriá non excidat, quod Cucumeres & penſiles cucurbitæ aquam adeò diligunt, vt ſi vas aquà plenum illis ſubijciatur ad eam enixè ſeſe extendant atquè elongentur, ſi verò oleum ab illo ſeſe retrahant, ac recuruentur, quod Mimoſa, ſiuè herba ſenſitiua ad manus, aut virgæ leuiſſimum contactum folia confeſtim retrahit, ac reſtringit, quod vitis ſi prope

pè Brassicam inseratur innatâ quadam antipathiâ longè ab illâ fugit, ac recedit, ideòque contra ebrietatem, ac temulentiam adeò Brassica pollere creditur, vt Germani quotidiè mensis illam apponant ad vini noxam effugiendam.

At enim verò, si magnum quid, ac mirabile est in Naturâ substantias inanimatas ad motum spontè compelli, non inferiùs, vt putò, erit portentum, substantias animatas ad simplicem plantæ alicuius obtutum, vel contactum, sensu, vel motu destitui, vndè altera oritur metamorphosis, quæ stupiditatis vocari poterit; hanc, si intèr fabulas placeat indagare Medusæ caput occurret Mineruæ clypeo suspensum, cuius ad obtutum, in ipso pugnæ impetu, ac feruore exanimes ac stupidi milites euadebant, nec dissimili virtute præditum censeri posset flumen illud lapidificum apud Cicones, de quo Ouidius in metamorphosi.

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit.
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.

Vera tamèn stupiditatis portenta simplicibus deesse non metuendum, Scorpiones enìm admotâ Herbâ Delphinio, aùt Lichnidè Syluestri, aùt Aconiti Pardalianches radice, adeò stupescunt, vt iaceant semimortui, Murenæ pisces ad leuem ferulæ contactum protinùs moriuntur, Vipera arundine leui-

leuitèr percussa, aùt fagi ràmulo obuiàm facta gressum illicò sistit & manet attonita, Lupus, Scyllæ bulbo contacto, stupet immobilis, ac sideratur, Taurus quantumuis ferox & indomitus, si ficus arbori alligetur confestim mitescit, ac cicuratur, quod etiàm carnes demortuæ, tum ipsius Tauri, cum cęterorum animantium experiuntur, quæ, & si durissimæ, ficus arbori suspendantur, breui horarum interuallo vsquè ad flacciditatem tenerescunt, quibus omnibus recensitis addere fortasse liceat Cancrum, qui admoto Polipodio, paruo temporis tractu non modo crustas integentes, sed & pedum vngues etiam abijciat; nescio, an horrore percitus, an stupiditate perculsus.

Quod si talis est vis odij, & anthipathiæ, vt naturales instinctus, & qualitates destruere valeat, quam maior vtiquè censenda erit Amoris, ac sympathiæ violentia, quæ non solas qualitates, sed & ipsam substantiam confundere potis est? hanc itaquè Amoris energiam vt primò a fabulis comprobemus, Salmacis Nymphæ metamorphosis in promptù erit; hæc Hermaphroditi formosi adolescentis amore correpta, cum ille eius fontem nudus intrasset, accurrit illicò, & abiectis vestibus arctissimè adolescentem complexa est, quem cum nequè blanditijs, nequè precibus in Venerem flectere valuisset, supplex à Dijs exorauit, vt ex duobus corporibus in vnum redi-

gerentur, factum itaquè est, vt qui vir fontem intrasset egrederetur Androginus, vndè postmodùm Androgini Hermaphroditi nomen retinuere; huius ergò metamorphosis, quam transubstantiationis phylosophico vocabulo liceat nuncupare, frequentissima e Plantis prosiliunt exempla; notum enìm est apùd Botannicos, Cassiam odoratam non raró in Cinnamommum transire, quod Galenus ipse oculari testimonio confirmat libro primo de Antidotis; eàdemque sympathiæ, & amoris actiuitate, Sisimbrium sepenumerò in Mentham conuertitur, Ocymum transmigrat in Serpillum, triticum in Lolium, atquè Hordeum in Auenam degenerant, quæ sanè Plantarum transmigratio pythagoricam quantò veritate, tantò etiàm amplitudine excedit, in illà enim solus erat ab vno in alterum corpus animarum transitus, in hac verò animarum, & corporum fit identitas, atquè vna confusio. O Fabularum mater ingeniosa Poesis, te non mendacem ampliùs, sed mysticam potiùs libet nuncupare, dum enìm Centauros, Sphinges Hircoceruos, atquè Sirenes, allegoricè describis, quid aliud, quàm naturarum miscelas intèr simplicia docere intendis, & monstra prætèr naturam effingere ab ipsà Naturà didicisti; Norunt id etiàm Agricolæ insitionis ministerium agentes; siquidèm sèpè conspecta est Quercus pyra ferre, Platanus poma, Myrtus punica ma-

mala, & mespila Oxyacantha; vbi tamèn est obitèr adnotandum, Plantas resinosas atquè oleosas ad huiusmodi insitiones, ac transmutationes ineptas omnino esse, cum etenìm maxima sit olei Anthipathia, non modo aduersus Cucumeres, & cucurbitas, vt superiùs innuimus, sed in omne plantarum genus, quarum vnaquælibet, si oleo fuerit aspersa facillimè arescit, & contabescit, indè fit, vt Larix, Picea, Pinus, Abies, & Olea, alterius insitiones nullatenùs admittant, nec alios vnquàm ferre fructus, quàm proprios aspiciantur.

At enìm verò tanta est Naturæ discordis inconstantia, vt non a solà plantarum formì vel qualitatibus, sed à locorum etiàm, ac Regionum varietatibus eliciat metamorphoses. Proserpinam Cereris filiam à Plutone raptam diù quærens Mater vbiquè terrarum, audijt tandèm illam apùd inferos commorari, suplex ergò Ceres à Ioue exorauit, vt sex cum Matre mensibus, sex verò cum Coniuge degeret Proserpina, quæ tùnc Diuæ Triformis arrepto nomine, apùd inferos Proserpina dicitur vmbris, & horroribus formidanda, apùd Superos Luna, cœlesti luce coruscans; apùd Tellurem Diana syluas venatione percurrens, quæ sanè multiplex operationum diuersitas vnico fuit carmine à vate descripta.

Terret, lustrat, agit Proserpina, Luna, Diana.

Hanc itaquè metamorphosim, quæ translationis meritò dici debet, non aliundè Vates, quàm à simplicibus didicere, quæ diuersas adeò pro diuersitate locorum exerunt interdùm operationes, vt Proserpinæ ad instàr, nèc idem perpetuò retinere nomen vbiquè mererentur, Talis quidèm est Persea, quæ in Persià lethalis est fructus, sed apùd Ægyptum translata euasit innoxia, teste Galeno secundo de aliment. facult. Talis Helleborus Niger; qui licèt intèr purgantia validissima connumeretur, in agro tamèn tridentino purganti virtute omninò destituitur, sic paritèr Arnm, quod græcis, atquè italis acerrimum est medicamentum, apùd Cyrenaicas regiones Rapi modo est comestibile, & quod magis mirandum, Opium, quòd apùd nos ad grana decem vel duodecim narcoticum est venenum, apùd Turcas vsqnè ad duas dracmas quotidiè, & innoxiè propinatur; nequè enìm vllo modo sunt audiendi qui hanc Opìj familiaritatem, & Dosis excessum ad consuetudinem atquè habitum referre conantur, nàm, prætcrquàm quòd neganr hanc vim consuetudinis Ioannes Freitagius, & Mattiolus, manifeste colligimus apud Schenchium, Turcarum opium debile esse ac penè innoxium, refert enìm ille Author obseru. lib. 7. Bellonium, qui opio nunquàm, assueuerat, ad eas regiones profectum, & opio in ea quantitate assumpto quæ ibi est in vsu, nihil incom-

modi

modi percepisse, pratèr exiguam oris ventriculi incalescentiam, leuemque cerebri, ac somni turbolentiam.

Tales intèr harmonicæ Naturæ concordes discordias, mens humana miratur primò, indè causas vestigare nititur, postremò effectus ipsos aggreditur imitari; Intèr cæteras autèm artes Naturæ imitatrices, medica facultas, omni procùldubio primatum obtinet, vtpotè quæ, non modò magistram imitari, sed & corrigere interdùm, & meliorem reddere glorietur; quapropter aliam in plantis metamorphosim excogitauit, quæ cunctis alijs à Natura patratis, atquè hactenùs recensitis vtilitate non minus, quàm admiratione longè antecedit; hanc igitùr, ne fabularum ornamentis destituamus, Io Iouis pellicis infortunium, in mentem reuocemus; hæc à Ioue in Vaccam conuersa, indè à Zelotipà Iunone furijs adeò fuit agitata, vt profuga Baccantis in morem vniuersum penè orbem percurrerit; postremò in Ægyptum perueniens, flexis humi genibus, lacrymis, & flebili mugitu, *Cum Ioue visa queri est finemque orare malorum*, vt cecinit Ouidius; hinc placatà Iunone, à Ioue in humanam formam redigitur, ac tandèm Diuarum numero adscripta Isidis Deæ nomine decoratur. Belluæ furijs agitatæ, siuè potiùs Cèrberi spumis, fluctibus Acherontis, Heumenidum recrementis nutritæ Vene-

nena vocari possunt, vniuersi Orbis exitio vndiquè erumpentia, vbiquè debaccantia: Ægyptus malorum finis, seu venenorum repurgatio est sapientia, prima enìm in Ægypto fuere litterarum incunabula, Iouem, qui dicitur à iuuando medicinam esse nemo ibit inficias, quæ Belluas furibundas humanitati restituit, hoc est veneficas plantas veneno penitùs exuens reddit humanitati proficuas, immò etiàm prodigiosis operibus diuinitatis participes; Hæc itaquè erit medicinæ ministerio celeberrima intèr omnes plantarum metamorphosis, quæ correctionis, immò exaltationis meritò nuncupabitur; Perge nunc ò Vipera crudelissima & morsu venefico hominem aggredere, proprijs enìm carnibus theriacam præparabis, Perge ò Scorpio venenate, & aculeo pernicioso vulnus imprime, nam tu ipse tamquàm emplastrum supèr vulnus illatum salubritèr contereris; nèc te canis rabiosè prætereo, qui ad morsus à te inflictos proprijs pilis illicò spoliaris, nec vos Cantharides venenosæ, quæ vestris alis antidotum exhibetis, hoc idem in plantis ac mineralibus obseruare contingit; venena sunt Scammonium, Helleborus, Coloquintis, venena sunt Mercurius & Antimonium, hæc tamèn omnia, solà industri præparatione, deleteriam substantiam in alexipharmacam conuertunt, vt hinc veræ Achillis hastæ simplicia vocari possint, quià vulnus inferunt & auxilium. Quo-

Quoniam verò huiuſmodi venefica ſimplicia in medicamenta tranſire compertum habemus, hinc problematis arripitur occaſio, quænam maior metamorphoſis cenſenda eſſet, an veneni in medicamentum, an verò veneni in alimentum. Et primo, pro medicamentis ea videtur eſſe ratio, quod cùm alimenta e vegetantium familià deſumantur; Plantæ omnes etiàm veneficæ, eo quòd vegetabiles, alimentitiam facultatem in ſe retinebunt; Id ex indè maniſeſtè colligitur, quod animalia non nulla veneficis etiàm plantis nutriantur, Sturni enìm, & Capræ veſcuntur Cicutà, ſues Iuſquiamo, Hirudines Cantaridibus, & Coturnices helleboro, vndè Lucretius lib. 4. de Natura rerum.

Prætereà Veratrum nobis eſt acre venenum.
At Capris adipes, & Coturnicibus addit.

Qua de rè, vt Planta venefica tranſeat in alimentum ſatis fore videtur illam veneno ſpoliare, ſed vt euadat medicamentum, cum fiat tranſitus ab vno in alterum contrarium, maior erit receſſus à ſtatu naturali, & maior etiàm metamorphoſis.

Ex alterà Problematis parte Galeni authoritas militare videtur libr. 1. lib. 3. & libr. 5. Simplic. atquè alibi, vbi explicans in quo differat alimentum à medicamento, alimenta inquit adaugere ſubſtantiam, medicamenta verò alterare qualitates vndè eſt, vt ſub medicamentorum prouincià etiàm venena

comprehendantur, eò quod agant pariter alterando qualitates, & medicamentum propriè dictum sit medium quoddam inter venenum, & alimentum vndè Caius Iureconsultus, de Verborum significatione. *Qui venenum dicit adijcere debet, vtrum bonum, an malum*. Patet hinc ex Galeni doctrinà, contraria, & extrema esse venenum, & alimentum, non verò venenum, & medicamentum, maioremque pati metamorphosim, & à naturali statu recessum venenum transmigrans in alimentum, quam in medicamentum.

Ab hac quæstionis ambage, & rationibus hinc indè pugnantibus, vt leui pede me expediam, ad eam Ciceronis sententiam, tertio Tusculanarum confugiam. *Præclàra rara, eaque difficilia* Cum itaquè frequentissima accidat venenorum metamorphosis in medicamenta, rarissima in alimenta, hanc illà difficiliorem nec non etiàm præclariorem existimabimus. Nos igitùr, posthabità medicamentorum descriptione, in quorum numero absquè numero dies deficeret, eà tantummodò venena oculis exponemus, quæ medicæ Artis industrià migrant in alimenta.

Et primò Coriandrum obijcimus, cuius alimentitiam facultatem omnibus exploratam crediderim; nemo enìm est, qui eius semina, saccaro condita inter bellaria non frequentauerit; non tamèn omni-

nibus æquè arbitror innotescere, Coriandrum à Dioscoride intèr venena connumerari, vt potè quod epotum reddat homines insanos, atquè ebrijs non dissimiles, obscena & ridicula blaterantes, faucium asperitatem, ac raucedinem inducat, ac tetrum vniuersi corporis odorem: Hinc malè consuluisse crediderim arabes Authores, & Medicos eorundem asseclas, qui ad cerebrum roborandum, & vapores à ventriculo ad caput inhibendos Coriandri semina saccaro contecta, à cena & prandio ægrotantibus exhibent, nec vllo modo audiendus est Auicennas, qui virescenti tantummodò coriandro veneficam tribuit facultatem cerebro obnoxiam, sicco verò contrariam; licèt enìm in plantis, àc seminibus exsiccatis non eadem actiuitas, vt in viridibus conseruetur, non ex eo tamen est asserendum eandem facultatem non retinere; siquidèm in sicco semine viridis vires non euanescunt, vt in Papaueris, Iusquiami, Cicutæ, & aliorum quamplurium semine luculentèr cognoscimus. Cœterum, nèc intèr se concordes sunt Dioscorides, & Galenus in assignando Coriandri temperamento, primus enìm frigidum, alter verò calidum asseuerat, & contrà Dioscoridem talibus verbis propriam tuetur sententiam lib.7. de simplic. medic. facult. *Porrò, quòd longè à refrigeratione absit Coriandrum, vel ex ijs quæ ipse scripsit Dioscorides discere licet, nam strumas*

inquit cum lomento dissoluit ; quòd verùm nullum refrigerantium medicamentorum idoneum sit dissoluendis, strumis, vel ipsum Dioscoridem non dubitaturum arbitror, quippè qui sixcenta scripserit medicamenta strumas sanare potentia, quæ omnia tum temperie calida, tum actionibus digerentia esse confessus est. Nos Galeni rationi libentèr subscribimus illam vlteriùs addentes, quòd Coriandri semina ventriculo roborando, & flatibus discutiendis exhibemus, quas tamèn operationes à frigido temperamento neutiquàm expectamus.

Veneficam, & alimentitiam facultatem Coriandro non inuidet Chameleon, cuius duæ sunt species, albus, & niger. albus apùd Italos Carlinæ nomen retinuit, eo quòd credat vulgus herbam hanc magno olim Carolo Imperatori, ad fugandam exercitus pestilentiam ab Angelo demonstratam fuisse: circà eius radices viscum quoddam siue lacryma adnascitur Ixia, siuè Vlophonon dicta (quæ tamèn in Italià non inuenitur) cuius venefica vis linguæ inflammationem excitat, excrementorum omnium supprimit exitus, intestinorum latratus, animi deliquia, & spiritus suffocationem inducit, & mentem vsquè ad insaniam exturbat. Quid ergò Medico agendum? Diuide, & impera: Lacrymam agglutinatam penitùs abstrahe, cultro corticem erade, vino deindè ablue, ne quid Ixiæ residuum inhereat,

ra-

radices deindè talitèr expiatas, ac saccaro conditas serua intèr bellaria, tùm ad stomacum roborandum; tùm ad pestilentes morbos arcendos, tùm ad intestinorum vermes enecandos. Nèc inutile omnino remanet in re medicà viscum illud e radicibus abrasum, eius enìm modica quantitas ad somnolentos excitandos promptissimum est remedium, quamobrèm cretenses mulieres, vt in suis elucubrationibus vigiles permanere valeant, Ixiæ modicum ac pusillum, a cœnà, citrà vllam noxam aùt incommodum assumunt. Nigrum Chameleontem albo magis veneficum asseruit Galenus libro 8. simplicium, quæ tamèn assertio, tùm Dioscoridis Authoritati, Ixiam in albi radice tantummodò inueniri affirmantis, tùm Magistrorum Magistræ experientiæ manifestè repugnat, nigri enìm radices Raphani adinstàr in acetarijs à compluribus affatim atquè impunè comeduntur: Excusari tamèn fortaßè poterit Galenus, eo quòd non improbabile sit, vt in alijs etiàm simplicibus abundè demonstrauimus, in aliquibus regionibus nigrum Chameleontem albo deteriorem innasci, cum præsertìm in Cretà Insulà Ixiam ab vtroque colligi compertum sit ad pennas sagittis agglutinandas, & nigri Chameleontis radice canes paritèr interimi affirmet Theophrastus.

Postremò ad Psyllium me conuertens Satyri apùd Æsopum placeat antè meminisse; hunc amicus

Paſtor ad prandium inuitans, cum frigidas manus oris hiantis afflatu per viam calefaceret, interrogauit Satyrus quid ageret, cui Paſtor, manus, inquit calefacio, indè ad menſam conſidentibus, Paſtor inferuidum pulmentum Labijs conniuentibus exſufflabat, vndè iterùm ſciſcitanti Satyro reſpondit, pulmentum refrigero, at ille è menſà illicò ſurgens, auertant à me ſuperi ſubdoli hominis commercium, qui duplici afflatu contrarias qualitates inſpirans ab ipſo quidèm halitu proditionis reuincitur: Si Pſyllium Æſopi Satyrus nouiſſet, non vtiquè in medicos vſus illius familiaritatem ſubſtinuiſſet, ſicùt enìm hominis efflatus frigidus ex ore clauſo, calidus ex aperto ſentitur, ità huius plantæ ſemen, ſi integrum in aquam proijciatur, vehementèr refrigerat, ſi verò contuſum vehementiùs calefacit: Ratio huius eſt ſubſtantiæ contrarietas intèr medullam, & corticem illius ſeminis, medulla enìm, ex Meſuei ſententià, calida eſt & ſicca ordine quarto, admodùm acris, incidens, exulcerans, ſepticæ, ac deleteriæ facultatis, Cortex verò frigidus, atquè humidus ordine tertio, ſiticuloſis atquè eſtuantibus apprimè gratus. Infunditur ergò Pſyllij ſemen in aquà frigidà, vbi tandiù agitatur, quo vſquè aqua lentorem contrahat, quæ deindè à ſeminibus percolata, & adinſtàr ptyſanæ, aùt emulſionis gratiſſimæ propinata ardentiſſimis febribus, faucium, ac pectoris aſperitati, ac

ſiti

ſiti intolerabili mirificè opitulatur; Cautio itaquè medica Pharmacopolis eſt memoranda, ne ſcilicet, e medullà ſeminis contusà extrahant emulſionem, alioquin retrogradà metamorphoſi alimenta in venena conuertent: Nos interim Coriandro, Chameleonte, ac Pſyllio iam cicuratis, intèr bellaria atquè alimenta fruentes, Samſonis ænigma decantabimus. *De comedente exiuit cibus, ac de forti egreſſa eſt dulcedo.*

Humana Fœlicitas.

Horridam ſanè ærumnarum ſententiam humano generi Socrates nunciauit. Illuſtriſſimis Patres, Doctiſſimi Præceptores, cum de fœlicitate percontantibus reſponſum edidit, Fœlicitas eſt voluptas, quam non ſequitur pœnitudo; exploratum quippè optimè erat ſapientiſſimo Philoſopho, quanto mendacij fuco Mundi ſcenam deambulet perſonata fœlicitas, cuius eſt indiuiduum gaudere, & pœnitere: gaudeat quidèm opiparà ciborum ingluuie luxurians Apicius, aut cenans in Apolline Lucullus, eam tamèn ſequitur, e veſtigio voluptatem ſatietas, nauſea, pœnitere, gaudeant fœdæ voluptatis illecebris coronata Veneris Mancipia Sardanapalus, Meſſalina, coget enìm laxitudo, animo, vel reluctante, quieſcere, mœrere, pœnitere; gaudeant

deant in summo fortunæ apice, romani orbis habenas moderantes Silla, Diocletianus, falsa donèc indè parta fœlicitas vtriquè tandèm suadeat, magistratus, imperium, legiones, omnia floccipendere, purpuram, & coronam exuere, pœnitere; vno verbo corporis incolumitas, ætas florens, virium robur, formæ pulchritudo, diuitiæ, authoritas, gloria, honores, queis, omnibus fermè vniuersa humana fœlicitas terminatur, àc definitur, concinnè Idolo Bel æquiparari videntur, extrinsecus ære micanti, luto intrinsecùs referto. O vera, o sola, & Socrati non ignota fœlicitas Sapientia, vna mortalibus voluptas, vnica pœnitudinis expers, tu quæ sepè Principum socordià, ægestatis, aùt contemptùs inuolucro cogeris delitescere, tuis huc prosilias è latebris, & romano in Licèo, ceù Lampas in Pharo accensa errantibus noctu nauigijs ad fœlicitatem præluceas; tù enìm sola in pauperie thesaurus Piratæ, aùt Latroni non obuius: tu obscuris nobilitas maiorum stemmate non indigens, tu in solitudine societas, in ærumnis solatium, in voluptatibus moderatio, per te Diogenes in dolio mendicus Alexandro non eget, per te Zeno doloribus indifferens ità naturæ imperat, vt sensum abstrahat ab animà sensitiuà, per te hostili gladio saucius Archimedes studiorum ità rapitur exstasi, vt se morientem non sentiat; & vos Patres conscripti Litterarij Orbis mo-

tri-

trices intelligentiæ, vos eiuſdem Cœli micantia ſy-dera doctiſſimi Præceptores, dicite, rogo, àc fidem cœteris perhibete, àn veſtrum aliquem, etſi intèr abſtruſa dogmatum cæſpitantem, etſi laboribus, àc vigilijs ægrotantem, ſcire vnquàm pœnituerit.

Pœnituit audio vocem clamantem; Pœnituit, Laruam cerno ſepulcralem, quæ mihi ſuccenſet, Age tu, quis es? Sum, inquit, Cornelius Agrippà: agnoſco; ille es Agrippa, qui de vanitate ſcientiarum librum conſcribens, vanam potius tuæ ſcientiæ pompam fortaſsè molitus es, ille es Agrippa, qui Mineruæ filius ingratus, more viperarum, materna viſcera laceraſti: Ille, inquit Agrippa ſum, ego, qui cupiens optatam curſu contingere metam multa tali fecique; o curſum laborioſum, ſed abſquè metà! o cupidinem ſpe tumidam, ſed exitu deſtitutam! ſudauimus quidèm, & alſimus, nèc ætatis oblectamentis indulſimus, nèc deboli temperamento pepercimus, longo tamèn temporis apparatu vario litterarum diſcrimine, ad Socraticam tantummodò licuit peruenire doctrinam, hoc vnum ſciendo, quod nihil ſcimus. En ego diſcendi cupidus a tenero ætatis incremento grammaticæ me contuli, vt ex eà tanquàm tabula raſa prima exigerem rudimenta, nèc aduerti innocens puerulus incertam, & inutilem facultatem me comparare, Incerta quidèm Grammaticè, cum de eà certæ Leges a nemine ſan-

cian-

ciantur, ſed a Maiorum authoritate, populique conſuetudine ad placitum varietur; adhùc pendet, ſub Iudice, immò ſinè Iudice Lis, an H ſit Littera nec nè, àn Gerundia nomina ſint, àn verba, cur apùd græcos neutrius generis pluralia nomina cum verbo ſingularis numeri coniungantur, cur apùd latinos nominatiuus Iuppiter producat Iouis genitiuum; inutilitas autèm illa eſt, vt voces, & linguam prætio comparemus in ſcholis, cum illarum, domi, etiàm mulierculas habeamus magiſtras: celebris eſt Graecorum eloquentia, & linguæ ornatus, eos tamèn non Polemonis iactantia, non Didimi ſex millia volumina, ſed ſola Cornelia Mater erudiuit; Quid plura? Ianua cœterarum Artium, àc ſcientiarum Grammatica dici ſolet eo quod illa ad reliquas ſcientias, tum explicandas, tum intelligendas vocabula ſuppeditet; votis autèm fruſtramur in primo limine Philoſophiæ vbi ad promptiùs phyloſophandum nouas voces effingere cogimur, quas nunquàm Grammatica ſomniauit; ſic ex verbo ſum, es, eſt ignotum elicimus participium ens entis, & ex verbo velle velleitas, ſic nouum commentimur articulum, ly homo, ly animal, ſic etiàm chimericas creamus voces Blictri ReuBau, Baralicton, grammaticæ nihil, ſed Logicæ aliquid ſignificantes.

Nèc Poeſim, alteram Grammaticæ partem intactam præteriui, vbi acumen ingenij, àc temporis

pre-

preciosa momenta stultissimè consumpsi, vt pedibus ac syllabis sermonem meum ediscerem colligare, quem tamèn solutà numeris oratione, & meliùs, & faciliùs explicassem: Optimè poesim callet qui optimè mentitur, nèc Poetarum numero Lucanus, aùt Herodotus adscribuntur, quià vera cecinerunt; sic pallio virtutis cohonestatum infame vitium edocemur in scholis, nempè mendacium, nonnè enìm honestissimam Reginam Didonem pellicem carminibus reddiderunt Hennius, & Virgilius; nonnè pudicissima Penelope adultera canitur à Lycophrone? nonnè etiàm Rainaldum Apostatam, Heroem de fide benemeritum Torquatus decantare non erubuit?

Quid de Philosophià loquar, ad quam posthabitis Poetarum ac Rethorum lenocinijs, seriò me perduxi? nunquàm hactenùs de sapientià desperaueram, quàm cum intèr sapientes sum conuersatus; O Aristotelis Lyceum, o Platonis Accademia, o Porticus Zenonis, vos equidèm omni studio frequentare non desij, vt scientiæ mihi tam vastæ principia saltèm innotescerent, cæcus autèm discipulus, vt cum cæcis magistris perfectius cœcutirem, me ad Athomos Democritus, ad numeros Pythagora perduxit, me ad aquam Thales Milesius, ad ignem Heraclytus, ad lucem, àc tenebras Zareta Caldeus, me ad aerem Anaximenes,

ad Ideas Plato ad materiam, & formam Stagirita Phylosophus, atquè alij centum, quorum tædet delusam animam meminisse.

Post hæc ad medicam facultatem me conuerti, non tàm aliorum morbos, quàm propriam medicaturus ignorantiam, licèt enìm sectarum varietates hæc paritèr Phylosophiæ non inuideat, empiricas, methodicas, rationales, ex eà tamèn aliquid certius elicere sperabam intèr dogmaticos constitutus, eià igitùr læto animo Apollinis templum adeo, propitium Numen exoraturus; ad fores autèm, cum peruenerim, magna ilicèt obstupendi præbetur occasio, vbì enìm antiquitùs erat insculptum *Nosce te ipsum*, nunc Hippocratis manu cernitur Aphorismus inscriptus. *Vita breuis Ars longa, Occasio præceps experimentum periculosum, iudicium difficilè*. O præludium inauspicatum! o sententia tyronibus terror, prouectis desperatio! siccinè ergò sectatores allicit austerus Hippocrates? aude anime, procedamus vlteriùs. Qualem autèm intèr dogmaticos discordiam, quale bellum inuenerim intestinum, horret animus reminisci: torquet adhùc ingenia nunquàm cessura controuersia, sit nè ars Medicina, àn verò scientia, àn sanguis circularitèr, cum Neothericis, àn verò, ad terminum, cum antiquis, àn à Corde cum Aristotele ducat originem an verò ab hepate cum Galenicis, cur in febribus inexplicabili pe-

periodo tertiâ, vel quartâ die redeat paroxismus, cur in Variolis, & morbillis, a Matris vtero lues impressa incerta diù lateat in sanguine certissimè tandèm proditura.

Indè, a corporis, ad animæ vitia corrigenda me transferens, nempè a Medicinâ ad Iurisprudentiam, o quàm amplam illìnc pœnitudinis ansam comparaui! Leges enìm.... Sileas Agrippa; monitum te velim, non omninò tutum contrà Leges insurgere, quæ nunquàm sinè armis incedunt.

Tales igitùr intèr scientias peregrè, àc perperàm reuolutis, hinc orta sapientibus desperatio, Hippocrates enim temporis iacturæ pertæsus luget senio confectus [a]. *Ego autèm licèt senex sim, adhùc ad finem artis non perueni*, Aristoteles in Euripum se proijciens, *o Abisse tu me cape, quià ego te non capio*, Empedocles incendij causam non intelligens ætneam insiluit in voraginem, Democritus, effossis oculis, inuidit corpori lucem, animâ cæcutiente.

Talis attamèn desperatio o Agrippa, si rectè animo perpendas non sapientis, sed ambitiosi, sed dementis erit vtiquè desperatio: mitto tua illa vana sophismata, queis grammaticen, aùt poesim imposturæ redarguis, age, quid cum sapientibus conquereris? quòd minima, quòd pauperrima sit hu-

a In Epist.

mana scientia, estò, quid inde? an ex eo fortassè contemnenda? quis ne vnquàm eò dementiæ peruenit, vt lauto insidens conuiuio, quià cuncta vorare nequeat ieiunus abstineat? quis noctù ambulans in tenebris, quià Solis luce frui non liceat paruulæ etiàm facellæ vsum dedignabitur? quis in orbe terrarum vastissimo, vnius tantummodò vrbis incolam se respiciens morte cupiet è mundo progredi, quem peragrare non potest? tanta vtiquè non extitit ambitiosa Macedonis desperatio, ille enìm Anaxarcum audiens, de infinitis penè mundis disserentem fleuit quidèm, vnico non dùm esse potitum, sed nèc vnicum despexit, nèc dereliquit, tu verò o Agrippa, qui ad nostra Litterarum fragmenta expuis nauseabundus, dic, rogò quid te, sinè hac vanitate scientiarum ab Agricolà, vel Bubulco secerneret? quid te, & hominibus extimabilem, & scientijs formidabilem constituit, pretèr illas easdem quæ te, & persequentem extollunt? minima fateor, est humana scientia, sed minimum maximæ molis, velùt Babelis, cuius non modò prætiosa cementa, sed, & vmbra mirabilis; hinc optabilius Alexandro Regi visum fuit Tersitem esse apùd Homerum, quàm Achillem, aùt Hectotem apùd Cherilum Poetam, non nè ergò nobiliùs, cum Cardano [a] erit censendum de maximis, vèl minimum sci-

[a] Card. in quadrip. Ptolom.

ſcire, quàm de minimis vniuersà Minimus quidèm erit intèr maxima, qui, vèl in ipſo ſcientiarum limine conſtitutus, diuinitatis delibauit Ambroſiam; maximus, intèr minima, qui purpurà àc theſauris onuſtus, vt Virgo Tarpeia Sabinorum ancilibus, ſuis tantummodò voluptatibus, more brutorum famulatur inglorius.

Quod ſi veſtrùm fuerit aliquis, qui, etſi cœleſti ſcientiarum rore nutritus ad inanes hoſce theſauros, & honores vota deflectat, inſtàr hebreorum babilonicæ captiuitatis allia ſuſpirantium, ſi quis, inquàm, non omninò contemnendum extimet, & in Cherilo Achilles eſſe.

Quis enim [a] *virtutem amplectitur ipſam*
Premia ſi tollas?

Ne, rogo, illum cum Agrippà pœniteat, non enìm aliundè meliùs, quàm a Sapientià comparabit, quæ fœcunda ſempèr diuitiarum, & honorum fuit ſcaturigo: Vaſta hìc memoriæ obijceretur prouincia ſi veſtrà abuti patientià eſſet conſilium, dies enìm potiùs, quàm exempla deficeret, ſi Gorgiæ Leontini diuitias memorare ſit animus, qui hominum primus in templo delfico auream ſtatuam oratorio quæſtu ſibi depoſuit, ſi auream verè Iſocratis eloquentiam, qui vnam tantùm orationem viginti vendidit talentis, ſi fœcundam Baſſi Poetæ Lirici fa-

a Iuuenal. Satir.

facundiam, cui Vespasianus Imperator auri quinquaginta sextertia est elargitus, si Cleombroti Medici opulentiam, quem Ptolomeus Rex, seruato Antioco genitore, centum donauit talentis; Optimè ergò Aristippus, Socrati admiranti, & interroganti, vndè tibi tàm multa? responsum habuit vndè tibi tàm pauca? admiratione quippèdignum arbitrabatur non quod locuples, sed quod egenus esset Phylosophus.

Quid de honoribus addam? aùt quos iniurià præteream? àn Aristotelis, àn Platonis, àn potiùs Hippocratis gloriam fortasè reticeam, quorum primo [a] multa hominum millia parere iussit Alexander, & patriam eiusdem nomini condidit, alterum Siciliam adeuntem [b] quadrigis Dionisius excepit, postremo ab illirijs redeunti eosdem Græcia, quos Herculi decreuit honores: vos quoquè duos magni cognomento iure optimo insignitos inuitus licèt cogor omittere Pompei, & Constantine [c] ille Possidonij domum accedens fores percuti à Lictore, vt moris est, vetuit, & fasces Lictorios sapientis Ianuæ submisit ille, cui se Oriens, Occidensque submiserat, hic Ablabium ægiptium Phylosophum Prætorij Prefectum, & vnà cum Constantio Filio Imperij Rectorem constituit; quid, inquam, opus huiusmodi sexcentum reminisci? obsoleta enim for-

Eunap. apud. Volater. a Plin. lib. 7. cap. 19. b Plutarc. a vita Dion. Suidas. c Strab. lib. 11.

fortaſsè videbuntur, & ſubrancidà vetuſtate conſumpta.

Vnum [a] pro cunctis fama loquatur opus.

Vrbem nempè Romam, nobile ſapientum Emporium doctrinæ mercibus auro, & honoribus permutandis, illam Romam, in qua nulla ad purpuras, & comitia patet ſemita, niſi per ſapientiam, illam Romam, in quà Plato ſua cerneret vota abſolutè completa, beatam fore vrbem exiſtimans, vbi, vel Phyloſophi regnent, vel Reges phyloſophentur; hic Socratica illa ſine pœnitudine fœlicitas nunquàm ceſſura triumphat, hic regia Pontificum munificentia, & Mecenatum patrocinia, non Præceptoribus modò, ſed, & Alumnis, àc Tyronibus influunt, quos, vel à remotis Mundi confinibus aduocant, atque alunt.

Sed quid ego ad vnam tantùm Romæ paleſtram litterarum Athletas allicio, perindè, ac nulla alibi eiſdem pateat Arena? rogatus olìm Socrates cuias eſſet, reſpondit, Mundanus, nouerat enìm cunctas regiones Sapientibus fieri patriam, alit eos Roma, vtpotè cognatos, alunt reliqui Principes, vt neceſſarios: Parcite vos Europæ ſupremi dominantes, ſi litteratorum munera, àc dignitates, non in veſtram perpetuò liberalitatem, ſed in egeſtatem audeam refundere, ſiue enìm in aulà ſit regia ſoboles edu-

can-

a Martial.

canda, siuè in foro Iustitiæ leges ad trutinam decernendæ, siuè in bello oratoriâ facundiâ milites excitandi, ea cuncta sapientibus reseruanda, hinc Philippus Macedo [a] ad Aristotelem scribens gloriabatur natum sibi Alexandrum tanti Phylosophi tempore, à quo doctrinam imbiberet cum virtute, hinc Romulo succenset Ouidius, quòd Astronomiæ ignarus in decem tantummodò menses annum diuiserit.

Scilicèt arma magis [b], *quàm sydera Romule noras*

Hinc Sapientum defectu, vani intèr exercitus, ex Lunæ deliquio terrores oborti, quo metu fuisse correptos compertum habemus, & Stesicorum, & Pindarum Vates [c], & Niciam Atheniensium Imperatorem, qui Classem e portu educere veritus non leuem eorum opibus noxam intulit; meliori tamèn consilio iuuit Paulo Emilio, àc Romanis Sulpitij Galli Tribuni sapientia, qui militibus eodem terrore percitis disertam adeò, atque eruditam de Cœli syderumque naturâ, motibus, àc lumine, habuit orationem, vt excussis timoris nubibus, animisque firmatis, de Persei Regis exercitu eàdem de causâ perterrito triumphauerint. Funestior ea sanè fuit ignorantia, qua Psylles Lybiæ populos fuisse deperditos Herodoti [d] testautur monumenta.

Au-

[a] Aul. Gell. lib. 9. [b] Ouid. Fast. [c] Plin. lib. 2. Cap. 12. [d] Herodot. Melpomen. lib. 4.

Auster illis omnia aquarum receptacula arefecerat, ob id publico consilio bellicam expeditionem aduersùs Austrum decernunt, sed, cum ad arenas venissent, ingens à spiritu illo turbo excitatus vniuersas cohortes miserà internecione deleuit: Deplorabile hoc infortunium vnus potuisset Sapiens auertere, qui de ventorum naturà ignaros Duces erudiens Reipublicæ excidium euitasset. An non ergò, & intèr arma viget litterarum necessitas? àn non ergò sibi consulunt Principes qui sapientibus consulunt? huius argumentum veritatis tu, rogo, præ ceteris inculca, ò duplici Orbi fæliciter imperans Hispane Monarca, non enim tuis potentissimis armis eò peruenisses, quò te Sapientis Circinus perduxit, tuique nomen augustum sub alis Columbi tanquàm Veterum epistola, vltrà columnas Herculis volitauit.

Quod si non raró contingat Principibus frui litteratis, vt Augusto, Tito, Adriano, Antonino, Theodosio, Constantino, Alexandro, aliisue quam plurimis regali sceptro Mercurij caduceum inserentibus, non ex eo erit censendum reliquos scientiarum professores inutiles, àc superuacaneos ociari, si enìm tales sunt Principes, qui rerum gestarum magnitudine nominis æternitatem, & mereantur, & cupiant, non omnibus, vt Cœsari propria scribere commentaria, aùt licet, aùt est ocium; Vobis solis Sapientibus, & Principes instruendi, & instructos publicæ famæ tra-

 dendi

dendi onus incumbit, quot enim ex ijs nouimus, quorum nomini, aùt penuriâ sapientum, aùt odio, vel silendo, vel detrectando fama obfuit? quam maior vtiquè eluceſceret Phylippi Regis, & Antonij æxtimatio, si non illi Demoſtenis, huic Ciceronis Phylippica detraxiſſet? Staſicrates græcus ille artifex, qui Athon Traciæ montem altiſſimum in hominis ſtatuam formari, exculpique poſſe iactabat, Alexandro Macedoni nobilem, àc perennem, ex illo imaginem ſe formaturum pollicebatur, cuius dextra labentis ad mare fluminis latices effundat, ſiniſtra verò vrbem amplexetur, àc circumambiat: Quid ambitioſo, & gloriæ cupidiſſimo Regi optabilius poterat contingere, quàm vnicum fieri in imagine, qui vnicus virtute prefulgeret? àt, mirabile dictu! negligit opus Alexander, potiora exiſtimans ſimulacra ſtilo ſcriptorio, quàm ſtilo ferreo æternitati laborata, ea proptèr ad Achillis tumulum, fleuit generosâ motus inuidiâ aduersùs heroem illum, qui Homerum ſuarum laudum Preconem ſortitus erat; eodem vtiquè Precone noſtram hac mane Panegerim indiguiſſe crediderim, niſi me vos alloquutum aduerterem & Principibus neceſſarios & ſinè pœnitudine fœlices.

Lit-

a Plutarc. Alex. b Plutarc. Alexand.

Litteraria Metamorphosis.

GRatulor tandèm vobis Illustrissimi Patres, Sapientissimi Collegæ, quorum auspicijs, àc laboribus exules iàm diù litteræ in Aulam reuocantur, & quæ hactenùs, estiuo, calore, cuius est disgregare, fuerunt dispersæ, consuetà frigoris virtute iterùm congregantur, gratulor, & tibi Romanæ Sapientiæ Lycæum, vt quo tempore plantæ omnes, àc stirpes squallore obrutæ cadauerico, frondoso decore spoliantur, sola in tuo solo florida scientiarum germina reuirescant, sed omnium maximè vobis gaudeo Discipulis celebre hoc Litterarum Emporium fæliciter adeuntibus, non ad Fortunæ thesauros, non ad honores, ac dignitates, non ad vanas gloriæ, & æstimationis mercaturas; vilia enim hæc fuerint maiora quærituris; sed ad veram vobis vitam comparandam, ad Animi vitia funditùs abolenda; tanta enìm ad vtrunque opus, vis est Litterariæ Magiæ, vt mirà quadam, sed contrarià metamorphòsi, stolidum modò saxum viuificet, Hominem modò in saxum vertat, àc stupefaciat, quod nostræ scopus erit orationis.

Magnus enim verò, intèr sacras; àc fabulosas cronologias, de Hominis origine fuit consensus; in illis enìm Adamum legimus delimo terræ fuisse creatum, in his Prometheum homines primò ex figulo

formauisse, immò post aquarum illuuiem, qua olìm Animantium genus omne fuit deperditum, Promethei filius Deucalion, vnà cum Pirrà Coniuge, iactis post terga lapidibus, humanam speciem restituisse perhibetur: Terræ illi limosæ, vt viuere inciperet in Adamo, non vtiquè satis fuit simplex illud verbum. Fiat; cæteris animantibus commune, sed oportuit in faciem eius diuinum vitæ spiraculum inspirari; cum enìm Hominis viuere sit intelligere, non alitèr, quàm diuinæ Sapientiæ halitu poterat animari; nèc dissimili originis misterio, Sapientiæ Deà Mineruà opitulante, lucem a Sole rapuit Prometheus, vt suæ Statuæ vitam impertiretur; saxa deniquè Deucalionis, Deæ Themidis oraculo fuerunt in homines elaborata, quæ Themis Mineruæ Mater Antiquis credebatur, claro vtiquè veritatis argumento, quod, nèc ipsa mendacia mentiri sunt ausa, saxa per Sapientiam homines fieri, sinè qua homines ipsos nil, prætèr nudos lapides, àut terram cenosam existimandos. Rogatus olim Sapiens, quid Doctus ab Ignaro differret, rectè quidèm, sed non satis respondit; quàntum viuus à mortuo. Rectè, inquam, sed non satis; Mortui enìm Prærogatiua est aliquandò, vixisse àt Ignarus, qui nullius vnquàm scientiæ degustauit ambrosiam, cui nunquàm, vitæ spiraculo, diuina in faciem imago fuit impressa, cui nullam, duce Mineruà, Solis facem Prometheus-

metheus accendit, ſaxo potiùs, quàm Mortuo erat comparandus.

Et enìm verò, cum duæ ſint præcipuæ ſaxi conditiones, Inſenſibilitas,àc durities, neutram Ignaros ſaxo inuidere comperimus; quod enìm ad primam pertinet, quis rogo lapidem ſentire contendet eò, quòd in Statuam elaboratus oculos, aures, ac nares habeat mirà artis induſtrià fabrefactos? ecquis Ignarum ſentientem fatebitur, qui lapidei in morem Simulacri oculos habet, ſed non videntes, aures, ſed non audientes? iactet altà voce Pitagoras, ſuauem ſe Cælorum harmoniam audire, Ignari ſtatua non audit, detegant aquilinis obtutibus denſas in Sole maculas Cheplerus, àut Galileus, Ignari ſtatua non videt, tangat digito geometrico Solis magnitudinem centum nonaginta quinque vicibus Terrà maiorem diuina Mathèſis, Ignari ſtatua non tangit. Famoſam Helenæ tabulam Zeuſis manu, àc ſtudio elaboratam Nicoſtratus Pictor, dum fixis, àc nunquàm ſaturis obtutibus intueretur, Imperitus quidam ab æſtaſi velùt illum excutiens rogauit, quid tantum in Helenà illà ſtuperet, cui Nicoſtratus. *Non interrogares me, ſi oculos meos haberes.* digna quidèm, & ſapiente Nicoſtrato, & Ignaro illo reſponſio; vterque enìm tabulam intuetur, ſed vterq. non videt, vterq. oculos in fronte geſtat, ſed alter viuos, alter lapideos; Stupidas huiuſmodi ſtatuas Nicoſtrato ſemèl

quo-

quotidiè vobis occurrere cernitis clarissimi Preceptores, si quandò monstrosà àc plus, quàm libicà miscelà vestris aùt sedilibus intruditur indoctus aùt symposiis considet, aùt, quod magis ridendum, vestris interdùm præsidet disputationibus; miseret vos, immò pudet illum intueri ad inlueta vocabula, & ratiocinia obmutescentem, oscitantem, dormientem Apuleio ipso infeliciorem, quantò diuersiorem, ille enìm, sub Asini figurà animam seruauit intelligentem, hic sub hominis effigie asininam claudit stoliditatem.

Hæc est Imperitorum saxea insensibilitas, deterior tamèn, àc difficilior eorundem durities: gemina Ignorantiæ species, apùd Platonem distinguitur, altera sui conscia, altera, ea, quæ nescit scire putans; secundæ huius tanta est ab insanà sui æstimatione durities, vt illius Asseclæ rationibus impenetrabiles, experimentis inconcussi, de omni doctrinà sint desperandi, illud Senecæ comprobantes dictamen, *multos ad sapientiam peruenire potuisse, nisi putassent se peruenisse*; heù quot bella aduersùs illos a Sapientibus geruntur, sed nullos habitura triumphos, heù quot strepitus reboantes, ex percussis huiusmodi silicibus, sed nullam extrahentes fauillam, vtpotè quòd saxa illa durissima, & solà leuitate grauantia, percutienti reluctantur, vincere æquè, & vinci nescia; hic, hic, o armata Minerua hastæ tuæ chaly-

beatæ

beatæ vtere scalpello, & quæ Platonem docuisti Ignaros hosce, non arguendo, sed redarguendo esse inuadendos, age, percute, perfora acuto Lanceæ spiculo lapideas ceruices, vt quæ flecti mollita nequeunt, lacerata rumpantur.

At post quàm Mineruæ Lanceam Ignari passi fuerint, iam eiusdem clypeum Doctos experiri fas est, cui profectò Medusæ caput impositum saxeos reddebat aspicientes, vt exindè documentum intelligeremus saxa per Mineruam in homines erudiri, & per eandem Homines in saxa iterùm consolidari, prima illa metamorphosis animam perficit intellectiuam, secunda roborat sensitiuam, quod vt vobis suadere valeam, non hic Archimedem memorare est animus sua inter mathematica adinuenta adeò deperditum, vt captis a Marcello Syracusis, & militibus omnia ferro, igneque deuastantibus, solus ipse nihil videret, nihil audiret, & mori non sentiens moreretur, non hic Hermotimi sermo fiat, cuius anima relicto [a] corpore vagari consueuerat, & plurima e longinquis redeundo nunciare, donèc Hostes, cremato corpore, animæ remeanti velùt vaginam ademerint, non Scoti, vel si quis fuerit alius, qui speculationum estasi raptus diuturnam ignis adustionem in crure non sentijt; recedant, inquam, millena eiusmodi exempla magna potiùs, quàm magnanima, nèc enim

a Plin: hist:

enim Sapienti satis est lapidem fieri; ex mentis abstractione, sed ex animæ compositione; illam ergò, duntaxàt, nobiliorem loquamur duritiem, quæ ad aspectum Mineruæ, velùt eius Gorgone viso, sensus lapidificat, quæ ad animi passiones debellandas armatam sapientiæ Deam hospitatur; O quot mihi, ex veteri Zenonis Porticu, immò ex totà Republicà litterarià, solida saxa suppeditantur stoicà virtute celeberrima! non tot Africa serpentibus est onusta, quot in hosce Sapientiæ lapides venificos dentes infregere, in illos irruens Pandora malorum vrnam disrupit, in illos offendens Fortuna lubricam rotam diffregit, in illos Artis, & Naturæ conatus omnes percutiendo defessi, nèc rimulam aperuerunt; quem admodùm enìm robusta vrbis alicuius mœnia Dux strenuus aggressurus varios, hinc, illinc, tormentorum ordines disponit, tentans, si quæ pars imbecillior incursioni locum faciat, sic Fortuna Litteratorum hostis acerrima lapideos illorum animos vndequaquè obsidens, vario ærumnarum apparatu, sed perperàm, nititur expugnare; tentat mæroris Portam, sed obstat ibi Anaxagoras, qui auditâ Filij morte hilaris nuncianti respondit *Scio me genuisse mortalem*; tentat alteram paupertatis, sed illic Stilponem inuenit megarensem, qui captà Patrià & direptà, interroganti Demetrio, quid illi superstes reliquissent, *Nullum*, inquit, *vidi, qui res meas auferret*

ferret, doloris iacula impugnat, sed ecce opponitur Anaxarcus, qui pilà ipsà, in qua tundebatur, magis lapideus *Tunde*, *tunde*, inquit Carnifici, *Anaxarci spolium*, *sed Anaxarcum non tundis*; hinc victoriæ desperans irata Fortuna occultas in Cordis Arce molitur intelligentias, & quod hostili impetu rumpere nequiuit, diuitijs, àc blandimentis corrumpere satagit, sed cæca Cratetem excubantem non viderat, qui, vt liberiùs philosophiæ studio vigilare posset, cunctos in mare suos proiciens thesauros, *Abi pessum*, inquit, *mala cupiditas*, *ego vos mergo*, *ne mergar a vobis*, tandèm, nèc ipsas Veneris illecebras reliquit intentatas, & huius Deæ imitata consilium, quæ Paridem Helenà seducere valuit Zenocratis lecto formosissimam Phrinem admouit: admisit illam libenti animo Philosophus, quæ tamèn totà nocte intacta remanens, & manè confusa recedens, se non cum Viro, sed cum Statuà iacuisse clamabat. Serò quidèm, o Phrine, hanc veritatem nouisti, Sapientes in Statuam durescere; serò te facinoris etiàm non patrati pænituit, tùnc sanè maiorem passam ignominiam, quandò continentiam exercuisti.

Sed quid honores preterij, hostes, eò Sapientibus metuendos, quo magis cognatos, quo magis debitos? illos sæpè Fortuna virtuti largitur in præmium sæpiùs in seductionem; non vna tamen in illos

Sapientum eſt reluctatio, alijs quidèm reſpuentibus, alijs verò amplectentibus: priorum numero Curios, Fabricios, Sillas, Diocletianos adſcribimus, intèr ſecundos Auguſtum, Titum, Adrianum, Antoninum, Theodoſium numeramus, tantò primis, me arbitro, fortiores, quantò illi dignitatum onere prægrauati ſibi tantùm ſapere decreuerunt, hi verò ad pondus intrepidi, magnâ reipublicæ fœlicitate, tanquàm Apes prudentiſſimæ, & ſibi, & alijs mellificarunt. Stratagematis illius placeat hic meminiſſe, quo, non rarò obſidentes ab obſeſſis eluduntur; dùm enim in portam aliquam exteriorem fit hoſtium incurſio, Defenſores velùt impetum non ſubſtinentes paulatìm retrocedunt, donèc intùs fortiori propugnaculo muniti in latentem aliquem cuniculum trahant perſequentes, vel intèr geminos murorum recinctus captiuos comprehendant: Conſimili planè aſtu, aduerſus Fortunæ honores a Sapientibus dimicari, vnus Adrianus Imperator pro mille ſit exemplar qui memoriâ, & ingenio fœliciſſimus, quas a Naturâ dotes habuit eximio fœnore bonis artibus tradidit, & exegit, græcæ enìm, & latinæ linguæ peritiſſimus, Orator, Poeta, Muſicus, & Pictor egregius, Arithmeticâ, Geometriâ, & Mathematicâ inſignis, aſtrologicâ, tandèm, ac Medicâ doctrinâ præcellebat, adeò vt, quod Seneca in Caium Caligulam iactauit conuicium, illum ſci-

licet

licèt a Naturà editum fuisse, vt ostenderet, quid summa vitia in summà fortunà possent, meritò in Adriani encomium sit conuertendum, vt ostenderet quid summæ virtutes in summà fortunà possent; immò, contrà summam Fortunam hostem sempèr Virtutis acerrimam, aùt persequendo, aùt blandiendo: contrà densum hoc virtutum agmen præliari cœpit Fortuna Orbis imperium offerendo; caue, caue Adriane, cape tela, scande muros, hostis adest, aspice ambitiosum puluerem iàm iàm oculos implentem, hostis aduenientis indicium, aspice ferocem illam Amazonem, quæ vocatur Ambitio Exercitus Imperatricem, & laureum sertum gestantem, quo te deuinciat: àt ille nullis armis munitus, nullum obijciens propugnaculum Coronæ aduenienti Caput extendit: O Ambitio sempèr inexpleta, sempèr inuicta, quantas heu quantas Virtutum strages in summo Adriani apice molieris! iàm iàm mihi videre videor ambitiosum Principem, antiquis neglectis virtutibus, à litteris ad arma properantem, aliena regna deuastantem, & Macedonis in morem angusto Mundi limite æstuantem a, *Vt Giaræ clausum scopulis, paruàque Seripho*. Fallimur Auditores, fallimur; quidquid huc vsquè vidimus Adriani fuit stratagema, & ferox illa Ambitio, primo vix superato recinctu, incidit incauta in Cuniculum;

Hh 2 cuius

a Iuuenal. Satyr

cuius impetu plures, & immensæ Prouinciæ à Continente Romani Imperij fuerunt diuulsæ; vix enim Adrianus Orbis tetigit habenas, cum illius vastitatem exosus, inauditâ Animi temperantiâ Imperij terminum Euphratem constituit Parthos, Armeniam, Mediam, Assiriam, Persiam Mesopothamiam, aliasque plures vltra flumen, Orientis Prouincias, ad Indiam vsquè, libertati commendans, de quibus omnibus cum Victor Traianus paulo antè triumphauisset, nouo nunc Triumphi genere triumphat Adrianus; sed quid, inquam triumphat? si primo ad Vrbem accessu incomparabili modestiâ paratum sibi triumphum respuit, Traiani statuam suo loco substituens, vt fortè documentum relinqueret, ita Sapientis animum ad honorum strepitus sensibilem fore debere, vt Statua illa ad Triumphum.

Hæc itaquè est beata illa Litteratorum durities, quæ licet purpuris, & coronis, aùt reliquis sensuum illecebris facilem primo obtutu præbere videatur accessum, vt Phrini Zenocrates, intèr corpus tamen atquè animam duriori lapide parietem interponit; Paries hic Zopirum Physionomum perpulchrè fefellit de Socratis moribus a physonomiâ iudicantem; dùm enim vitiosum Hominem, & male morigeratum denunciat, cunctis mendacium deridentibus, Socratem ipsum habuit excusantem. *Talis profectò*

fuis-

fuissem, nisi me alium Philosophia reddidisset.

Vndè verò Virtus illa oriatur, quæ tanquàm Ciconum flumen saxea reddit viscera Sapientum, doceat suimet exemplo Hyeronimus: Diuus hic doctrinà æquè, ac sanctimoniá præfulgens, si quandò venereis præmeretur igniculis, non ad spinarum cespites, vt Benedictus, non ad aquas glaciatas, vt Egnatius, sed ad græcarum litterarum studium se conferebat doctus vulgati carminis axiomate. *Otia si tollas periere Cupidinis arcus.* Ocium enìm illud, quòd & aquis fœtorem infert, & ferro rubiginem, & ligno teredinem, & ignauo corpori ægritudines; quid non etiàm Animæ corruptelas infliget? Pulcherrimus apùd Lucianum intèr Venerem Matrem, & Cupidinem filium sermo intercedit; percontatur Mater a filio, vndè esset, vt cum reliquos Deos omnes expugnauerit, nèc Ioui maximo, nèc Matri parcens, ab vnà tamèn Mineruà temperaret? respondet Natus, quià terret me arma gerens, vultu truci, & minaci, galeæ cristam quatiens, & vipeream Gorgonis faciem in pectore gestans. Atquì Mars, ait Venus, non ne erat Mineruà formidabilior? quem tamèn vt cœteros, & vulnerasti, & exarmasti. Quià ille, inquit Natus, cupido me recipit genio, atquè vltrò etiàm inuitat. At Musæ, instat adhùc Dea, quam ob causam a tuis iaculis degunt immunes? num, & hæ cristas quatiunt, aut gor-

gorgonas prætendunt ? Has equidèm reuereor ò Mater, tùm quià vultu sunt pudico, & venerando, tùm præsertìm quià sempèr aliquo tenentur studio, sempèr cantionibus animum intentum gerunt, quin ipse etiàm non raro illis assisto carminis suauitate delinitus. Clara est o Magistri, fabulæ allegoria, vestrarum studio Musarum, non vnus Cupido, sed centum exarmantur cupidines, vt Mercurij fistulà centum Argi lumina sunt sopita.

Pro Anniuersario

LEONIS PAPAE DECIMI

HOrret Animus, àc miratur infausta Baccanalium spettacula, Illustrissimi Patres, Clarissimi Preceptores, Vrbe enim, atquè Orbe choreis, & cantibus tripudiante, nos vni ad funera, nos vni ad lacrimas reuocamur: Tracum hìc fortasse mores cernimus rediuiuos, natalem lacrimis, lætitià lœthum celebrantium? LEO tamèn Decimus talis est; cuius ortum defleant vtiquè nostra tempora, vtpotè nimis citum, ad interitum verò sola exultauerit Inuidia; Quæ quibus anteferam? aùt quò grandiloquam coarctabo panegerim, nè tantà rerum congerie, tanquàm Heliogabali floribus obruamur? Florum sanè ea indoles est, & multiplex

opi-

opificium, vt ad varios Animantium instinctus, aut Artificum studia, vario sui specimine accomoden- tur; carpit alius, vt odore fruatur, alius, vt corollas intexat, Pictor, vt delineet, Medicus vt destillet omnium optimè Apes, vt Mel exsugant, & fabrefaciant. Florem ex Patrià Florentià, Florem, odora cuius effluuia Terræ orbem impleuere, cernitis Auditores, Florem inquam, sed Virtutis, intèr ærumnosa suorum temporum vepreta fœlicitèr germinantem, Florem, sed Rosarum, etiàm post tabescentiam suauissimè olentium, Florem deniquè, ex quo, quidqnid alij decerpserint, sapientes præ cœteris mellificarunt.

Suauissimus ille odor, inuictæ præsertim constantiæ exteris etiàm nationibus expirauit, qua Leo in aduersis ferendis nunquàm sibi imparem, cunctis maiorem se præstitit; Mediceis enìm Patrià, ac Principatu depulsis, Adolescens Ioannes, in cuius magnanimo Corde futuri LEONIS iàm characteres adumbrabantur, post varia Belli discrimina, queis fata non arriserant, more Parthico tandèm pugnans, fortunam suam vincere didicit fugiendo; Age inuicte Ioannes, exul abi, & fuge crudeles terras, fuge littus auarum, exul abi, & purpuram exue cardinalitiam, quo te tuaque infortunia remotis gentibus abscondas, exul abi nec enìm ignoras, Magnis, àc Sapientibns viris, barbaras etiàm regiones

in

in Patriam euadere, Socrate eruditus Magistro, qui interroganti, cuiàs esset, responsum habuit. Mundanus: Abijt ille Auditores, germanicas, ac belgicas perlustrans Regiones, & præsentis fortunæ acerbitatem, ingenti animo contemnens nihil vnquàm iucundius atquè festiuius eà vitæ libertate expertum se esse fatebatur.

Verùm enim verò, nèc satis fuit nostro flori purpureum colorem exuere, vt odorem obtunderet, regiam enìm liberalitatem, & exulantis viribus imparem vsquè adeò seruabat, vt pecunià interdùm deficiente, atquè Exulis fide suspectà, argenteas patinas, & crateras in Lanienis, & foro Piscario relinquere cogeretur, tanta autèm erat ex læto vultu præsentis inopiæ contemptio, aùt dissimulatio, vt sæpè a Familiaribus reprehensus responsum habere consueuerit, Insignes viros cœlesti sorte fieri magnos, & nihil eis vnquàm deficere, nisi ipsi animis omninò deficiant: Quid ergò ampliùs de profusà, Alexandri Macedonis liberalitate gloriatur Antiquitas? quid non eam in Leone rediuiuam, immò adultam pleno buccinat ore Posteritas? Rex ille cuncta penè profundens, interroganti Perdiccæ quid sibi relinqueret, spem inquit, mihi relinquo, & rectè quidèm ò Alexander, tibi enìm, Europam fermè atquè Asiam possidenti, maiorum perpetuò rerum spes deficere non poterat, at Leonem Regno

gno depulsum, & cum inopià iniquè colluctantem fortitèr adeò de sua sorte confidere, vt nulli parcat munificentiæ, maius aliquid est o Alexander de te, tuàque animi magnitudine triumphans.

Sed quid ego Leonis in aduersis constantiæ prolixiùs gratulabor quandò speciosior eadem in secundis enituit, vtpotè difficilior? ea proptèr Galba Imperator a Pisonem alloquens, secundas resaiebat, acrioribus stimulis animum explorare, quià miseriæ tolerantur, fœlicitate corrumpimur: En LEO summum scandens Ecclesiæ fastigium, non superbiæ fumo innatum Cordis fœdare candorem, non Ambitionis igne animi moderamen incendere, ac deuastare, non vltionis gladio hostiles furori victimas immolare contendit, sed siuè in aduersà siuè in secundà fortunà, siuè inopiam ferendo, siuè thesauros largiendo, siuè exul fugiendo, siuè Pontifex regnando sempèr maximus, sempèr optimus, sempèr idem modestæ vrbanitatis a limine, nunquàm aberrauit; Testem præ cæteris innumeris vnum habere liceat Petrum Soderinum, hìc in Florentina Republica acerrimus Medicei nominis Antagonista, euerso tandèm fortunæ ordine, ac Mediceis Patriæ restitutis ad Ragusios aufugerat, LEO tamèn magnanimus ad pontificiam dignitatem euectus, vt quantò humani generis maximùs, tantò humani-

a Tacit. Annal.

tati superior euaderet Soderinum è Ragusio ad Vrbem acciuit, eumque summo excipiens honore, proprium ex Sorore Nepotem illius ex Fratre Nepti desponsauit: Mirum sanè lenitatis exemplar, cui non illa Adriani Cesaris sit vnquàm equiparanda cum Romano cuidam Senatori, quem hostem priuatus habuerat, Euasisti, inquit, quià sum Imperator; Laudabilis fateor, & Adriano digna res fuit subiectis ignoscere, laudabilior tamèn, atque vno digna LEONE virtus hostem, cui pepercerit beneficijs extollere; Parcit LEO, & præmia largitur, parcit Leo, & sanguini admiscet, quem Cordi reconciliat, parcit LEO, & vincendo, dum parcit, parcendo iterùm vincit; nobilis hic magnanimæ Virtutis Flos, etsi cunctis suauissimè oleat; solà tamèn o Principes vestrum imitatione delineandus, nobis enim humili natis fortunà, si quidèm parcere est virtus, ingloria sempèr est virtus, vtinàm, & vilis animæ vitium sæpissimè non æstimetur, cùm non satis vnquàm liquidò constet, àn ex metu Principis, aut virium impotentià, àn ex animi magnitudine iniurias vlcisci negligimus.

Qùod si tanta LEONIS in hostes effloruit benignitas, quanta vtiquè in amicos, & familiares, eiusdem fuerit munificentia? hactenùs quidèm ex vngue LEONEM agnouimus, qualis autèm re ipsà fuerit LEO, dicant Pauperes frustaneis precibus nun-

quàm

quàm orantes dicant Peregrini, multarum rerum immunitate, & beatà illà seculi securitate vndiquè ad Vrbem incolendam acciti, dicant Aulici quos, vel etiam iniusta petentes, votis omninò deludi non sustinebat, tanto enìm, tum Ciues, tum Alienigenas, ad leuem Virtutis alicuius famam liberalitatis studio prosequebatur, vt purpuream crumenam quotidiè aureis nummis sibi repleri iusserit, ad incertas exercendæ liberalitatis occasiones; Dicant rogo Pauperes, & Agrestes Populi, quantà gratulatione, àc lætitià Pontificem ad Manliana rura accedentem exciperent, cum Pueris, & Puellis obuiam euntibus, & rustica munera passim offerentibus, non modò pecuniam largà manu rependeret, sed humanitèr appellando, àc sciscitando, quà maximè rei domesticæ parte acriùs a fortunà premerentur, Virgines dotali munere decoraret morbo autèm, vel ætate affectis, aùt numerosæ familiæ onere prægrauatis æs alienum benignè dissolueret. Dicant Peregrini, Insubres, Cœnomani, & Circumpadani, quorum ingens multitudo diuturnis barbarorum incursibus agitata, fortunas suas Romam auidissimè transtulit, compertum habens, & eximijs artibus honorem, & mediocribus opificijs certissimas merces non defuturas; Dicant Aulici, quantà Iulium Blancum intèr Cubicularios gratissimum vrbanitate redargueri, quem importunis pre-

cibus postulantem, vt iniquo libello subscriberet, percontatus LEO quanti ea gratia Clienti venderetur, & libero ore, ducentis aureis respondenti, totidem e Crumenà numerauit, libellumque discerpsit.

Sed quid ego festucas, & paleas colligendo immoror, vbi messis opima luxuriat? ah sileant Pauperes, sileant Peregrini, sileant Aulici, & soli loquantur sapientes, immò, & ipsa loquatur Sapientia magnificà huius ædificij structurà tanquàm in ..io triumphans, nec enìm augustissimo litteraum Patrono satis fore videbatur ingeniosis doctrinarum Apibus flores vberrimè exsugendos distribuere, nisi & cellulas in examen componeret, quo sibi atquè alijs mellificarent: Attilæ Hunnorum Regi diuini ad instàr flagelli Italiam deuastanti Diuus LEO Pontifex, vt occurreret, non bellicæ expeditionis robore, sed facundo, duntaxàt, verborum apparatu Barbari furorem demulcens Ecclesiæ ruinam auertit, sed o quàm optimè christianæ reipublicæ fœlicitati Primus, àc Magnus ille LEO in Decimo reuiuiscit! O quam Actilà ipso crudeliùs Barbarorum inundationes, scientias destruendo, vel adulterando, Ecclesiam deuastabant! Inundabat Petri Nauiculam deterrima illa Lutheri doctrina, qui Luciferi in morem supèr Aquilonem ascendens tot Ecclesiæ pulcherrima membra corrupit, & secuit. Inundabat æquissimas Astreæ Lances peruet sa-

Re-

Regulorum Tyrannis, Ecclesiæ Vrbes vsurpando, Iustitiæ leges conculcando, & ius in armis iniquè reponendo, inundabant, vel ipsam Idiomatum puritatem peregrina vocabula, & Barbarismi, queis vera dogmatum interpretatio, non sinè religionis detrimento disperderetur: Huiusmodi barbaris inundationibus Arginem LEO atquè Antemurale constituit vastam hanc Romani Lycei molem, vbi optimi, ex omni doctrinarum genere Magistri, ad errorum nebulas disgregandas splendidè alerentur; & vos probatissimos successores, intèr hæc gymnasia, tanquàm intèr Colossei reliquias, antiquæ munificentiæ cœmenta mirari non pigeat: O temporis preciosa momenta cur me deseritis vasti maris in littore adhùc insidentem? adeste Gedeon aùt Iosue, & in hoc LEONIS triumpho Solem rogo sistite ad meridiem properantem; heu cur potiùs non adfuistis, vt Solem Mediceum, fato nimis acerbo ad occasum præcipitem retineretis? O seculi fœlicitatem abruptam! o Florem, Iuuentutis florem, sed aratro succisum! Siccinè ergò humanitati subscribit, humanis rebus, animo, àc dignitate superior! Siccinè, euerso Naturæ ordine, Solis in Leone positi breuissimi dies mensurantur! siccinè execrando, & occulto Inuidiæ telo confossus occumbit, qui longo, àc valido Parcarum stamine intextus Atropos diù forfici restitisset. Sanctissime Litterarum

Pa-

Pater, & Propugnator, non nisi altà fatorum prouidentià de fragili hoc vitæ libro delete, nè scilicet diutiùs æternitate defraudareris, si Manes habent curas priores, si Cœli beata mœnia lethæa obliuionis vnda non irrigat, tuæ Romæ adhùc te lugentis, tui Gymnasij adhùc te decantantis placeat meminisse, inspira dignissimis tuis in Petri solio successoribus eadem animo cogitata, infunde tuam in litteras munificentiam, àc veluti pittagoricà transmigratione, transeat in illos tua grandis Anima: Vos interìm Collegæ humanissimi, hìc vbi flores apparuerunt, vbi flores euanuerunt, decerpta è stemmate Mediceo manibus date lilia plenis; quòd si Deorum simulacra veneramur, fabros qui illa fecere contemnimus, vt Seneca in Idolatras redarguit, in hoc magni LEONIS simulacro, a me rudi scalpello delineato, liceat vobis Statuarium despicere, sed Statuam adorate.

Se la *lite*, o l'Amicitia sia *la* cagione delle cose.

Problema.

PAuolo Emilio illustre Console Romano ripudiando con istupore di *tutti la sua* Consorte, a gl' Amici, che riprendendolo gli diceuano, *Non-*

ne

nè hæc modesta ? nonne formosa ? nonne fæcunda ? alzando egli vn piede rispose *Nonnè pulcher hìc Calceus ? nonnè nouus est ? sed nec vestrum aliquis nouit, qua ex parte meum contorquet pedem.* Non dissimile riprensione soffrirò forsi hoggi da voi, ò Signori; se ripudiando la sin hora decantata amicitia mi farò lecito di sostenere nel presente problema , che l'inimicitia, e la Lite sono la cagione di quanto ha di buono nel mondo, e che l'Amicitia è la distruggitrice del tutto: Io già vi sento rimproverarmi; l'Amicitia di questo congresso non è ella heroica? non è virtuosa? non è feconda ? onde m'accingo a disingannarui con darui breuemente a vedere, *qua ex parte meum contorquet pedem.*

Diuidasi il nostro Mondo in tre Regni, della Natura, dell'Arte, della Politica, in ciascheduno di essi scorgo la Lite, e l'Inimicitia esser la Maestra, e la cagione del tutto. Nel regno della Natura parlino per me gl'elementi, la di cui nota discordia non sa produrre cosa alcuna senza combattere *frigida pugnabant calidis humentia siccis*; fra gl'elementi medesimi non è egli il Calore, che mantiene la vita, non è egli il freddo che induce la morte, e la corruttione, si ne vegetabili, come ne gl'animali ? e pure Empedocle chiamò il Calore *litem omnia disgregantem*, & il freddo *amicitiam omnia congregantem*. Miseri noi allhor che fermano

la

la loro pugna quegli humori contrarij ; che ne compongono ; Il nostro sangue tesoro della vita vien composto a detto d'Hippocrate d'amaro , d'acido , di dolce , & insipido , di acerbo , e di fluido, che esercitando tra di loro vna perpetua guerra ciuile eccitano quel moto intestino tanto necessario alla vita , che vien chiamato fermentatione, da cui sciogliendosi il sangue , e disponendosi al moto perpetuo della Circolatione quasi corda di questo diuino horologio , e vita , e moto a noi comparte . Giacciono entro il granaro in otiosa , e sterile concordia numerosi acini di formento , e senza dare ne pur vn segno di vita chi crederebbe che fossero semi da propagarla in altrui ? e pur gettato al suolo talun di essi , & esposto all'ingiurie della terra che lo soffoga , dell'acqua che l'infracida , del Sole , che lo riscalda rauuiua entro se stesso la sua morta virtù , per moltiplicarla in altri cento ; passa piu oltre la necessità di questi contrasti soggiacendo poscia il germoglio a gl' insulti delle contrarie stagioni, che con le loro discordie tutte a gara concorrono a far ciò , che vna sola di esse far non potrebbe . *Humida solstitia atque hyemes optate serenas Agricolæ cantò* Virgilio

Che marauiglia adunque o Signori se l'Arte perpetua imitatrice della Natura , (e passo al secondo regno) operi anch'ella i suoi lauori a forza di ho-

hostilità? ne habbiamo viui gl'esempi, sì nell' Arti liberali, come nelle mecaniche; tra le prime chi non sà esser composta la Musica di voci discordi, e dissonanti, che quasi elementi contrarij formano vagamente il misto dell'Harmonia? e qual cosa più noiosa all'vdito, che la moltiplicità delle voci tutte all' vni sono concordi? tra le seconde mirisi quel Fabro ingegnoso, che d'vna rozza pianta vuole effigiare vna statua, credete forsi, che a piedi di quell' Arbore annoso, quasi Zerse innamorato del suo Platano, con amplessi, e con baci amorosi lo disponga alle disegnate sembianze? alza vna scure tagliente, le recide a primo le frondose braccia, indi lo percuote alle radici con incessanti ferite infinche al suolo stramazzi, ne quì si ferma, anzi più fiero di qualunque nemico torna con nuoui istrumenti ad incrudelire in quel Cadauero, scorticandolo dalla sua corteccia disossandolo da suoi nodi, e sminuzzandolo in più frammenti, che non fè Medea del fratello, e de'figli, Ne più pietosa rimiro quella industre Donnicciola verso del suo Lino raccolto; mentre appena sbarbicatolo dalla terra lo sommerge per molti giorni nell' acqua, indi con percosse prima di legno ne dirompe ogni fusto, poscia con pettini di ferro le carpisce la rozza spoglia della stoppa, indi sù l'aculeo d'vna Conocchia lo stira barbaramente col fuso, e l'assot-

tiglia, & in tal forma distefo lo condanna al foco a bollir con le ceneri, e doppo replicati bollori, e torture, tra le spole del Tessitore con assidue battute crede finalmente esser giunto al riposo, tessuto in panno, ne si accorge infelice della Forbice che l'attende per lacerarlo in minute striscie, e dell' Aco che gli minaccia numerose punture per risanarlo; hor ditemi o Signori vi sembrano questi attestati di Amicitia, o pure d'inimicitia? io per me non trouo fin hora doue s'annodi questa Amicitia, se pure non ricourossi nel regno della Politica; seguiamone dunque la traccia.

Ma se deggio dire il vero, io non iscorgo in questa prima Corte altro che la Bugia con la maschera dell' amicitia, per altro la sola discordia è quella che diede l'essere, e le leggi al mondo politico: e vaglia il vero, o Signori, che sarebbe egli il Mondo, se tutti gli huomini con eguaglianza, & vnione di fortuna fossero Nobili, e ricchi, o tutti Poueri, e plebei? come reggerebbesi il suo gouerno, se vniformi di genio fossero tutti dediti alle lettere, e niuno all' armi, o tutti all' armi, e niuno alle lettere? se tutti alla vita celibe, o tutti al matrimonio, se tutti a gl' esercitij honorati, e nessuno a i vili, & infami, che pur anch' eglino sono necessarij, e ne Satelliti, e ne Carnefici? giacerebbe otioso, & abbietto il gran tribunale d' Astrea vnica base al

tro-

trono de Regnanti, se l'amicitia, e l'interesse non seminasse discordie, in somma douunque volgerete lo sguardo, o non vedrete amicitia, o la vedrete perniciosa al gouerno, dispensando le cariche a chi non le merita, e proferendo sentenze in pregiuditio della Ragione.

Ma che vado io ricercando tra le politiche della Corte il nido dell' Amicitia, quando ella si crede di hauersi stabilito vn seggio heroico in questa Accademia, di cui si gloria hauer gettati i fondamenti? Ne menti o Bugiarda, e chiamo voi in testimonio, o Signori Accademici: Ditemi vi prego, chi diede principio al vostro congresso virtuoso? il desiderio di contradire a quegli ignoranti, che con false e rancide dottrine van seminando gl' errori; chi lo rese ben tosto adulto, e ne progressi, e ne gl'applausi? la varietà, e la discrepanza delle opinioni con cui altri asserendo, altri impugnando si pone in chiaro la verità. Celio Oratore colerico appresso Seneca, adirãdosi fortemente contro di vno, che a bello studio gli concedeua ciò che egli asseriua, *Dic aliquid contra* proruppe, *vt duo simus*. Voi o Signori non vi adirate, ma ben si vi attristate se taluolta a vostri eruditi discorsi non sorge alcuno per contradire, quasi che a quella mensa saporita mancasse l'vltima imbandigione del frutto. Io per me veggio sì necessaria a vostri studij l'emulatione, e la lite, che mi

ſpiacerebbe in eſtremo,ſe il mio Compagno non mi contradiceſſe, anzi prima che egli parli voglio conuincerlo con vn Dilemma, O voi confermarete il mio detto, & io hauerò vinto il partito, o voi mi contradirete, e confeſſarete a voſtro mal grado, che la Lite, è l'anima dell' Accademia.

Dell' abuſo de' Veſſicatorij.

LA Medicina parto leggitimo, e nobile dell' intelletto, che hebbe per raccoglitrice l'eſperienza hoggi, non sò per qual ſciagura la veggio appreſſo di alcuni diuenuta aborto della memoria: Io non parlo di quei Medici Romani, che, e per dottrina, e per eſperienza ſono da me riueriti, come miei maeſtri; ma bensì di taluni, che ſenza ſpeculare ſul fondamento della ragione, *& rem per cauſam cognoſcere*, apprendono groſſamente à memoria quattro Aforiſmi *in fide Parentum*, per eſercitarli poi ſeruilmente à beneplacito degl' infermi, e de' loro Parenti.

Se mai in alcun caſo potè hauer luogo queſta mia doglianza, l'hà al certo ſoura d'ogn' altro intorno all' abuſo moderno de' Veſſicatorij, giunto hoggimai ad vn ſegno, che ſenza diſtintione di morbo, ò di ſintomi, ſenza riguardo di età, ò di temperamento, ſenza conſideratione di tempo, ò di luogo,

ſi

si frequentano indifferentemente con ogni sorte d'Infermo, purche sia graue, e bene spesso anche con quelli, che non sono tali, ad vna lieue apparenza di grauezza, onde più d'vna volta è accaduto con vergogna, e deriso de' Professori, che hauendo questi attaccati i Vessicatorij à tal vno alla prima inuasione di febre, che poi era vn Efimera, si sia veduto il giorno seguente passeggiar l'infermo per la Piazza con le gambe infasciate, non hauendo altro male, che il fattogli dal Medico.

Due sorti di Medici abusano perniciosamente de' Vessicatorij, (parlo sempre con eccettione de' Saggi.) Alcuni con vn errore grossolano di mente si danno à credere che il Vessicatorio sia vn Medicamento singolare, ò più tosto vniuersale à tutt'i mali graui, e pericolosi, siano pure eglino di qualunque specie, e conditione, laonde stimano di far vn colpo da mastro, se alla prima visita, appena salutato l'infermo gl' intimano i Vessicatorij, dichiarandosi di voler ouuiare ad ogni sospetto di malignità; & io mi sono incontrato in taluno di questi, che doppo hauerne posti sei, alle gambe, alle coscie, & alle braccia, proponeua nel consulto di farne vn' altro alla nuca, onde io non potei ritenermi di dirgli con qualche sdegno. Signor mio l'infermo viuerà ancora qualche altro giorno, onde se V.S. ad ogni visita gli vuole accrescere vn Vessicatorio, sarà ne-

cess-

ceſſario frà due giorni di attaccarglieli alla barba, non vi eſſendo rimaſto alcun altro luogo. Contro queſti tali adunque ci valeremo delle ragioni, e delle autorità di Maeſtri claſſici, dandoli ad intendere quali ſiano le indicationi del Veſſicatorio, e quali le contraindicationi, quali vtili, e quali pregiudicij ſe ne poſſono ſperare, ò temere.

Vi è vn'altra ſetta di Medici, i quali non hanno grandiſſimo credito à queſta ſorte di medicamento, ma perche fanno profeſſione di politici gli ordinano anche loro frequentemente, perche il mondo ci crede, e bramano di dare à vedere che non hanno tralaſciato coſa alcuna, onde con vn ſolito loro detto: *Qui ſi è fatto tutto*, ſi vſurpano con politica il nome di accurati, e diligenti, come ſe il medicar bene conſiſteſſe in far tutto, e non in far ſolo quello, che è vtile, e tralaſciar ciò che è inutile, anzi dannoſo. Io mi ſono trouato più volte ne i conſulti con alcuni di queſti, i quali conuinti dalle ragioni, con cui gli dimoſtrauo non conuenire i Veſſicatorij, e non hauendo che riſpondere, ſoggiungeuano ſolamente: Ad ogni modo è bene per politica attaccarne almeno vn paro per dar guſto a i Parenti che gli deſiderano, e per non eſſer cenſurato di hauer tralaſciato vn medicamento celebre, & vſuale. Oh maledetta politica! ò vocabolo indegno d'vn huomo ingenuo, e di vn Medico honorato!

così quella professione, che *sola Imperatoribus imperat*, come disse Plinio, diuiene per politica schiaua adulatrice al capriccio degl' infermi, e d'ogni vil femminella. Contro tali politici la strada più opportuna sarà il disingannare gl' istessi infermi, e loro Parenti con l'euidenza delle ragioni, perche sicome ad intuito di questi s'inducono quelli ad ordinare i Vessicatorij; così ancora cesseranno per politica di motiuarli, quando questi persuasi della inconuenienza di essi, si dimostreranno alieni da simil carnificina.

Il Vessicatorio è vn medicamento caldo, doloroso, & esulcerante, che euacua gli humori serosi, & è medicamento euacuatorio, reuulsorio, e deriuatorio, onde viene indicato dalla copia, e dal moto prauo degl' istessi sieri, così c'insegna il Claudino.[a]

L'vso di essi è, ò ne i morbi vniuersali, come sono le febri, ò ne i morbi locali di qualche parte. Ne i morbi locali può conuenire il Vessicatorio, come deriuante insieme, e come euacuante, perche posto vicino ad vna parte ripiena, può euacuare tanto humore, che basti à sgrauarla: ma de i morbi locali parlaremo dipoi, spiegando in quali possa conuenire, & in quali nò: & hora parlaremo in primo luogo de' morbi vniuersali, cioè le febri, nelle quali è introdotto l'abuso pernicioso, che fù il motiuo del presente discorso.

Ne

[a] De ingressu ad infirmos lib. 2. cap. 7.

Ne i morbi vniuersali, ò nelle febri non può hauer luogo come euacuante, perche essendo queste fondate in vna ripienezza d'humori, e nello stomaco, e ne gl'intestini, e nelle viscere ostrutte, & in tutto il genere venoso, sarebbe grande sciocchezza il pretendere di sgrauar questa pienezza vniuersale con quattro, ò sei Vessicatorij; che in tutto il tempo, che durano aperti non purgaranno frà tutti, quattro oncie d'humori, quando con vn Clistero, ò con vna Sanguigna ne cauiamo più in vn quarto d'hora, che con tutt' i Vessicatorij in due mesi; di maniera che, attesa la poca quantità dell'humor euacuato, non possono questi hauer luogo nelle febri, come euacuanti, ma, ò come riuellenti, ò come alteranti: hora esaminiamo dunque, doue, come, e quando si richieda nelle febri vna tal riuulsione, ò alteratione.

Io diuido le febri in tre Classi; alcune sono leggiere, ò almeno senza pericolo, siano di moto celere, ò cronico: altre sono acute con celerità di moto, e pericolo di vita: & altre sono maligne, quali deuono distinguersi dalle acute, perche se bene hanno il pericolo della vita, come quelle, non hanno però sempre la celerità del moto.

Alla prima Classe di febri non conuenirsi il Vessicatorio, l'insegna à ciascuno la ragion naturale, non essendo mai raggioneuole l'applicare vn medicamento

b Method. ad Prax, lib. 1.

mento tormentosissimo ad vn male leggiero.

Alla seconda Classe, cioè alle febri acute molto meno conuenirsi, è not o per le medesimo *Lippis*, *& Tonsoribus*, per esser medicamento calidissimo, ne vi è alcun Autore, che nella cura di tali febri faccia mentione del Vessicatorio: anzi Heurnio, benche per altro ne faccia encomij, in queste espressamente li prohibisce. *Acutis morbis non admouendum*; & Aetio. *In calidis. & siccis affectionibus his ego non vtor.*

Restano adunque sole le febri maligne, doue possano hauer luogo i Vessicatorij; e pure anche in queste veggio tra loro discordi Autori Classici, grand' argumento dell' incertezza di essi: gli approuano Oribasio, Aetio, Egineta, Mercuriale; e più d'ogn' altro il Sassonia nel suo libro de Phoenigmis. Gli biasimano il Massaria, il Fonseca, il Donzelli, e Gedeone Harueo, i motiui de i quali si restringono à i seguenti.

Primieramente niuno de gl' antichi Greci essersi seruito mai nelle febri di tal rimedio; e Galeno, benche per altro non l'ignorasse, ma ne faccia mentione nella cura di alcuni mali locali, nel libro *De Reuulsione*, ad ogni modo quando parla c delle febri, e de' loro sintomi diffusamente, *primo ad Glauconem*, & altroue non fa mai mentione ne per pensiero de' Vessicanti. Ll Se-

c 11. Method. 9. 4. de tuend. valetud. 5. & 6.

Secondo. Esser dottrina di Galeno, che senza la precedente euacuatione di tutto il corpo, e concottione de gli humori, non si deue fare attrattione alle parti esterne: onde prohibisce in tal tempo l'essercitio, le sfregolationi, il bagno, e per fino i fomenti, e le vntioni calde, come dunque potranno in principio, quando gl' humori son crudi conuenire i Vessicatorij, che con maggior violenza attrahono dall' interno all' esterno.

Terzo. Non esser tolerabile l'vso de' medicamenti calidissimi in febri biliose, accompagnate per lo più da vigilie, e delirij.

Quarto. Con tali medicamenti dolorosissimi disturbarsi le concottioni de gl'humori, che, per sentenza d'Hippocrate hanno bisogno di quiete, e di sõno

Quinto. Distraendosi la natura con queste picciole euacuationi *ad extra*, impedirsi il moto delle euacuationi *ad intra*, dalle quali si deue sempre sperare maggior benefitio.

Sesto. Finalmente essersi più volte veduto produrre da i Vessicatorij vlcere insanabili, e cancrenarsi la parte, brugiori intolerabili d'vrina, e molte volte vrine sanguinose. [d]

Tutte queste, ò altre simili ragioni; se bene io le credo efficacissime contro l'abuso de' Vessicatorij, non però le stimo à bastanza concludenti contro ad ogni

d 4. Acut. 47.

ogni vso de i medesimi, perche esponendo gl'incommodi causati molte volte da i Vessicatorij, non prouano perciò, che sempre seguano i detti incommodi, come in fatti non sempre seguono, e quando anco seguissero taluolta, potrebbe essere che fossero accompagnati da vn vtile maggiore che rendesse tolerabili i sudetti incommodi, come appunto succede nelle Sanguigne, ò altre euacuationi; le quali, benche facciano qualche dispendio di spiriti, e di forze, ad ogni modo si pratticano per li vtili maggiori che ne risultano, e così appunto si schermiscono da tali obiettioni i Propugnatori de' Vessicatorij, le ragioni de i quali tralascio per breuità di ripetere, perche à somiglianza delle contrarie prouano solo, che molte volte giouino i Vessicatorij, ma non perciò esseludono quel grand' abuso moderno, che hò io preteso di riprendere: onde sin hora restiamo all'oscuro più che mai, sapendo che in questo mare vi sono di molti scogli, senza però intendere le vie sicure da schiuarli. Sarà dunque di mestieri tralasciando simili dardi, con cui le parti auuerse si feriscono da lungi, di venire ad armi curte, & alle prese, esaminando, e distinguendo quelle febri maligne, in cui possano hauer luogo i Vessicatorij, da quelle, à cui sono inutili, anzi dannosi.

Due sorti di Febri maligne ne insegna che si tro-

uano il gran Protettore de' Vessicatorij Hercole Sassonia, e alcune proprie, e vere altre improprie, & abusiue; il che ben raccoglie da molte dottrine di Hippocrate, e di Galeno.

Proprie maligne chiama quelle febri, che prouengono da vna occulta, e venefica qualità, o che habbiano graui sintomi, ò non l'habbiano, e ciò esser verissimo l'attesta Galeno, dicendo [f] trouarsi alcuna sorte di febri, che vccidono senza alcuna violenza, e prima di lui insegnollo Hippocrate, *Valde mites, valde malignæ*.

Improprie, & abusiue maligne chiama quelle febri, le quali, benche non habbiano alcun carattere venefico, sono però accompagnate da grauissimi sintomi, cioè ardore, e sete inestinguibile, dolori di testa, e vigilie, infiammationi interne di Pleura, Polmoni, Fegato, & Hippocondrij: in questo senso disse Hippocrate, [g] *Febres ex hippocondrijs malignæ sunt*, e Gal: nel Commento afferma intendersi dell'infiammationi de gl' hippocondrij, e queste ancora impropriamente chiamarsi da Hippocrate maligne, ma douersi più tosto chiamar acute.

A queste adunque per esser più tosto febri acute, che maligne non conuerrà in alcun modo il Vessicatorio, come habbiamo detto di sopra, tanto più che gl' accennati sintomi da cui presero il nome di

e de Febrib cap 15 f Lib. 3. de Crisibus cap. 4.
g 2. in primo Prorhetic. 21.

di maligne improprie ; sono tutti controindicanti di simile rimedio ; e qui Signori Medici parliamoci chiaro, perche quando io vi sentirò ne i Consulti; (come tutto il giorno mi accade) chiamar febre maligna ogni febre, che habbia qualche graue sintoma, io stringendomi nelle spalle vi tolerarò vn abuso, di cui gl' istessi nostri maestri Hippocrate, e Galeno ne hanno tal' hora dato l'esempio, ma quando poi da questa impropria malignità, cauarete vna conseguenza più impropria di affigere i Vessicatorij, io perderò la patienza, e non saremo d'accordo.

Restano adunque sole le proprie, e vere febri maligne, nelle quali deggiano hauer luogo i Vessicatorij, e ciò con gran fondamento di raggioni, e di essempij, essendo sempre ragioneuole l'attrahere il veleno dalle parti nobili, & interne, alle ignobili, & esterne, quindi è che dall' vso de medicamenti diaforetici sogliono riceuere gran benefitio, perche allontanandosi in virtù di essi dal cuore il miasma venefico si espelle à i pori della cute, ò per sudore, ò per traspiratione. Non sono in oltre scarsi gl' esempij, che confermano questa dottrina. Primieramente in quella pestilenza narrata da Tucidide saluauansi tutti quelli a quali l'humor venefico facendo metastasi alle mani, ò a' piedi esulceraua quelle parti ; si conferma col testimonio di Galeno, in cui si leg-

leggono queste parole .[b] *Atque cum ità iam vacuati essent, qui euasuri erant, ijs pustulæ, quas exanthemata vocant nigræ toto corpore multæ confertim apparuerunt*. Così Erofonte appresso Hippocrate, essendo gli humori ancora crudi, con vn' abscesso alle gambe si liberò da vn malignissimo morbo. Così Sileno essendo similmente crudi gli humori non morì nel nono (dice Galeno) [k] conforme era di ragione, perche apparuero gli esantemi nella cute l'ottauo giorno, morì poi nell' vndecimo, perche non essendo capace il piede di tutto l'humor peccante, retrocesse questo, eccitando vn delirio furioso, e l'vccise, chiaro argomento della necessità de' Vessicatorij, i quali se si fossero applicati alle gambe di Sileno, hauerebbono dato esito à quel humore pernicioso, che per non hauerlo retrocesse. Aggiungasi per fine che essendo queste vere febri maligne accompagnate per l'ordinario da refrigerationi di estremità, da oppressioni di cuore, e lipotimie, e bene spesso da sonnolenza, con l'attrattione del caustico si riuoca il calore, & il veleno dal centro alla circonferenza, e si riuellono dalla testa i solfi narcotici; Adunque sarà ottimo consiglio nelle febri legitimamente maligne di affiger sempre i Vessicatorij: *Nego consequentiam*.

Nego la consequenza di quel sempre, perche le ra-

b 1. Met [illegible] cit 7. Bprd. *k* in 1. Epid. in com.

raggioni, e gli esempi adotti, benche efficaci, & opportuni, non prouano però il sempre, e che ciò sia vero ditemi Signori Medici vessicanti, vi siete voi scordati dell' Aforismo d'Hippocrate; *Quo natura vergit, eo ducere oportet per loca conferentia* ! Quali sono questi luoghi conferenti ? li espone iui Galeno, cioè l'Intestino, la Vessica, l'Vtero, la Cute, le Narici, &c. In oltre, che vi pare di quell' altra sentenza d'Hippocrate 1 *Reuellendum est si non repunt quo expediat, si verò quo expedit, eo aperienda via est prout singuli repunt*. Hor, ciò supposto, se la natura non hà inclinatione di trasmettere gli humori alla Cute, qual prudenza sarebbe il volerla sforzare con i Vessicatorij à trasmetterueli, come se gli mancasse ogni altra strada opportuna ? Si sono vedute, non niego, sanarsi spesse volte le febri maligne per Sudori, per Abscessi, per Vlceri, per Pustule, & Esantemi, ma ne habbiamo veduti mille altri guarire per Diarree, per Hemorrigie, e per Vrine. Non sarebbe egli vn gran sacrilegio, comparendo le Petecchie, ò morbilli il dare vna medicina purgante, ò cauar sangue ? e come dunque vice versa cominciando il male con vna Diarrea, ò Hemorragia non vi fate scrupolo di diuertirla con Vessicatorij ?

Sento il Sassonia, che mi risponde esser egli di opinione, che i Vessicatorij si affiggano nel principio

1 2. in 6. Epid. 28.

pio, nel qual tempo essendo le Diarree, e le Hemorragie sintomatiche non si deue hauer scrupolo, anzi è bene il diuertirle non potendo elleno cagionar altro che male.

Chi vi hà detto Signor Sassonia, che l'euacuationi sintomatiche non possano tal volta esser vtili, e giudicar il morbo? Hippocrate non già, poiche egli con esempij euidenti ne insegna il contrario.[m] Noi leggiamo ne gl' Epidemij, che à Metone nel quarto giorno apparuero stille di sangue dal naso; nel quinto Hippocrate fece lauargli la testa, e con vna larga hemorragia senza alcun segno di cottione fù giudicato;[n] Che quella Donna grauida nel quinto parimente senza danno, e senza aborto e senza cottione col sudore si risanò;[o] Quell'altra *Mulier morosa* superò vna malignissima febre nel terzo, essendo ancor cruda la materia, con vno sfogo di vrine nere, e di mestrui.[p] La Vergine in Larissa guarì nel sesto senza cottioni, con larga hemorragia dal naso, e sudore copioso.[q] L'infermo all'horto di Dealce con le materie crudissime si andò più volte alleuiando hora con hemorragia, hora con vomito, hora con diarrea, e con sudore.

Ne volete di più? Sentite Galeno sopra quel testo d'Hippocrate ne i Prognostici. *Abscessus, si in cruribus erumpat in Pulmonià vehementi, ac periculosa*

m 1. Epip. com. 3. egr. 7. n 1. Epid. com. 3. egr. 13. o 3. Epid. sec. 3. egr. 11. p 3. Epid. sec. 3. egr. 12. q 3. Epid. sec. 1. egr. 3.

